




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Beneficia Vetera Et Nova, Divæ Virginis Dittelbacensis

Sang, Eucharius

Wirceburgi, 1607

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64129](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64129)



111.10.

20

Th. 4875.



BENEFICIA
VETERA ET
NOVA,
DIVAE VIRGINIS
DETTELBACENSIS,

à
REVERENDISSIMO AN-
TISTITE ET SVFFRAGANEO
VVIRCEBVRGENSI


EVCHARIO SANGIO,
SS. THEOLOGIAE D.
FIDE ET CVRA

DESCRIPTA.
Liber Societatis Jesu Paderbornae. A. 1608.
AVGVSTIN. SERM. XVIII.
DE SANCTIS.

Aue gratia plena, Dominus tecum. tecum Domi-
nus in corde, tecum in ventre, tecum in vtero,
tecum in auxilio.

WIRCEBURGI
Typis GEORGII FLEISCHMANNI. ANNO 1607.
Cum Gratia & Privilegio Sacrae Cas. Maiest.

~~Handwritten notes and signatures at the bottom of the page.~~



I. Lebold. fecit.

D. Bernard. in serm. de verb. Apoc.
Omnibus (Deipara Virgo) misericordie suae aperuit, ut de plenitudine eius accipiant universi;
Captivus redemptionem, aeger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam,
Angelus letitiam, denique tota Trinitas gloriam.

REVERENDISSI-
MO, ET ILLUSTRISSIMO
PRINCIPI, AC DOMINO, D. IVLIO,
Episcopo VVirceburgensi, & Franconiæ Duci,
gratiam & felicitatem à DEO
precatur,

EVCHARIVS SANGIVS SVFFRAGA-
NEVS W.



Vi DEO iubente,
in terram Chanaan,
à Moyse, populi Du-
ce, mittebantur, ex-
ploraturi vrbiũ & incolarũ vi-
res, foliſque fertilitatem, botrum
ferebant redeuntes prægrandem
è pertica pendentem, certiffimũ
præpinguis & feracis glebæ in-
dicem. Reperta eſt non pridem,
nec procul, ſed in hac ipſa Fran-

-im il

À 2 conia,

conia, immensæ vna magnitudinis, saporis suauissimi, supra fidem. Vno verbo, miraculosa. Et cui alteri in terris offerenda, quã Præsuli, & Duci Franconiæ IULIO, in cuius vinea nata? Clarius dicamus, sepositis inuolucris: DEVS Diuaque, vti superiori æuo, sic & nunc edunt prodigia, & conferunt ægris ac calamitosis, in hac Diæcesi VVircebursensi, beneficia noua, haud suppressenda, sed euulganda, & ad posteritatem transmittenda: vt multi per illa ad fidem ducantur, omnes ad DEI cultum & amorem accendantur.

Nos ad hunc scopum respicimus, & collinamus, quandò illa,

si mi-

si minus cum apparatu & copia,
cum fide curaque collecta, in lu-
cem emittimus, & quasi fructū
nouum, recentemque racemum,
tempore hoc maximè, quo ad
maturitatem vux perueniunt,
R^{mæ} & Ill^{mæ} C.ⁱ vestræ gustandū,
quin à canino dente tutandum,
in manus damus.

DEVS Te, Magnum Antisti-
tem & Principem, pro Franco-
nia & Catholica fide, diutissimè
incolumem seruet ac florentem.

VVirceburgi. Anno M. DC. VII.

D. Virginis in cœlum
assumptæ perui-
gilio.



ODE DEDICATORIA

LIBELLI DE BE-
NEFICIIS B. VIRGINIS
DETTELBACENSIS,

AD

Reuerendissimum atque Illu-
strissimum Principem
IVLIVM, &c.

CANTIC. VII.

Noua & vetera seruauit tibi.



Nnata, Princeps, quemlibet, vt solet,
Trahit voluptas. Hos noua, ceteros
Antiqua delectant magis. Sic
Non dubiè docet vsus. Vnum
Vix è trecentis reperies virum,
Et qui vetustis gaudeat & nouis.
Vult quippe præferri vetustas,
Vult itidem nouitas amari.
Et par amori quisnam erit impari?
Tu par es ô Princeps, tibi (sim bonus
Coniector) ex æquo probari
Et nouitas solet ac vetustas.

Noua

Noua approbas, non quæ malè garrula
Commenta plebs est in triuijs: amas
Vetusta, non quæ fabuloso
Ore vetus cecinit poëta.

Docere, sed, quæ, fallere nescia,
Solet Fides. En, fausta tibi, huc ego
Apporto Princeps. Scire quæris?
Sunt vetera & noua, quæ lubenter

Et iure seruauit tibi. Ne fidem
Poscas: fide sunt illa DEI satis,
Diuimque confirmata votis.
Crede DEO, superis fidem da.

Fidelis est, quæ dat. Dicat hæc tibi
Regina cæli. Scilicet eius hæc
Sunt. Eius est, quicquid nouorum
Et veterum memoro. Vetusta hoc

Testata sunt olim. Hoc noua item modò
Miracla clamant: quæ duce, & auspice
DEO, potens diuesque nuper
Ipsa DEI est operata Mater.

Contempsit aras hæresis obstinax:
Auertit aures impietas pias:
Pulsata virtus æquitásque
Dispulit auxilium Tonantis.

Donatus aris est honor, & sua
Reducta sacris Relligio: Duce
Te, templa Diuorum perennes
Rite ferunt Superis honores.

Occurre menti tu veneranda, tu
Felix domus. Hic tu sacra Virginis
Imago DETTELBACHIANA.
Dic, age, quanta DEVS, quot, & quæ
Nostro, vel hoc sub Principe IVLIO
Hanc per Parentem gesserit? at silet
Imago, Princeps. Res enim pro
Se loquitur satis. Ergo Matris
Cultore dignum Principe munus hoc
Capesse maternum. Hæc vetera & noua
Dudum tibi seruata, serua,
Vtere, semper ama Parentem.
Seruabit hæc te (crede mihi) & tuos.
Utêris eius Gratia identidem.
Pieque, nunquam non amantem,
Te redamabit, amica Mater.



IN

IN REVEREN-
DISSIMI SVFFRAGANEI

WIRCEBVRGENSIS, PRÆFECTI OPTIMI

Parthenici Sodalitij: ac Rectoris permagnifici IVLIAE

Academiae apud Francones Herbipoli,

ἡγαγυατεία de beneficijs

Virginis MARIAE Det-
telbacensis.

IDEM SODALITIVM EI

ADDICTISSIMVM.



Es est ardua, res laboriosa,
Antistes venerande, vel parentum,
Vel par officijs referre diuūm.

Nobis vna fuit benigna tecum,

Et nunc est hominum, Dei que Mater.

Donauit (quoniam silenda non sunt)

Et ve grandia semper, & parenti

Tali scilicet vſitata tantum.

Quod spiramus adhuc, quod imus, & quod

Stamus, nec cadimus, nec interimus.

Quid multis referam? quod haecenus, quod

Iam tuos numeramur in clientes,

Id totum, pia mater, est tuum. Nos

Quid, quantum tibi iure debeamus,

Quis fando memoret? Tacent. Quid ergo?

An cum soluere non licet, negare

B

Nobis

Nobis debita fas erit? nefas est.
Soluemus. Fer opem, potes, tuorum
Spes & præsidium Colende Præsul.
Tu Matri, quia dux es & supremus
Maternæ moderator ædis, æs hoc
Nostrum solue. Quid hortor? immò totum
Soluisti. tabulas tuere: salua
Res est. En tuus ille, quem parenti
Vouisti, liber expedita nostra
Monstrat nomina. Io triumphe. Verè
Ter felix liber est, ter osculandus.
Quid mirum? redimitus ille matris
Est insignibus. Huius ille facta,
Indicta ore alio, legenda seruat:
Seu mentis noua, corporisue dona,
Seu Diuæ studium potentiamuè
Mirari libeat magis. sât ergò
Hoc Matri est, nequè plura vult. Abundè
Nimirum superis Deoque fit, cum
Laudantur benè. Perge, tu beatam
Lauda mente, manu, stylo parentem
Hanc. Nos nomina plura contrahemus.



I

DE BENEFICIIS
VETERIBVS ET
NOVIS
DIVÆ VIRGINIS
DETTELBAEENSIS.

CAPVT I.

Diuam Virginem, omniū mor-
taliū esse parentem.



Inimè falluntur, qui, præpoten-
tis DEI, parentem, omnium
parentem, & patronam consti-
tuunt, communemque volunt
esse canalem, per quem Numen
diuinum beneficia, & dona sua,
effundat in genus humanum.

Innumera miracula, in diuersis orbis partibus, per
illam patrata, docent, non vnus gentis, aut regio-
nis, sed omnium esse Matrem, totiusque orbis cu-
stodem, & præsidem.

Prædicat & extollit eius Beneficia Italia, in Æde
præsertim Lauretana. In monte Serrato. Hispania.
Massilia, Gallia. Hallis & Sichemij, Belgium. Opis &

auxilij illius expersnè Germania, aut Franconia nostra hæc inclyta? vetera, noua, rara, & illustria beneficia ipsi collata, docent amorem. Sit Benefactrici suæ æternùm grata.

Dettelbachium opidum est, V Virceburgo vicinum: Præsulibus & Ducibus Franconiæ paret. Habet extra mænia Ædem opere & structura nobilem, DEI Matri sacram: & quod amplius, miraculis olim claram. Sed claritudinem & famam quasi omnem amiserat annis superioribus, quando per Franconiam & vniuersam Germaniam, fides & religio Catholica iacuit fermè extincta. Verum nuper illa, quasi postliminio restituta, Præsulis IULII vigilantia, & singulari inprimis Numinis Diuini fauore, denuo se matrem ostendit: *agrotantibus officinam medicina: fontem perennem curationum: remedium aduersus demones: & ciuitatem refugij omnibus ad se confugientibus.* Cæterum ipsius sacelli & miraculorum in eo patratorum, quo magis innotescant initia, altius ordiamur.

Damasce.
orat. 2. de
dormit:
Deipara.

CAPVT II.

De primo miraculo apud D. Virginis Dettelbacensis effigiem patrato.



Os olim erat laudatissimus per vniuersam Germaniam, publicis in vijs, sacras imagines, & statuas figere, vt earum aspectu

viato-

viatores caperent pietatis incitamentum, ac laboris suscepti leuamentum. Durat, nec absque fructu, eiusmodi consuetudo, à maioribus nostris religiosissimis accepta, vbi prisca fides salua manet ac integra.

Dettelbacenses in eo pietatis exercitio, alijs palmam præripiebant. Annis ab hinc centum, loco quo nunc visitur sacellum, D. Virginis effigiem habebant, quam manè pergentes ad operas, & sub noctem reuertentes domum, vna cum liberis, & seruis laborum socijs, pia mente colebant & venerabantur. Placuit pietas ista sic DEO, sic eius parenti, vt non multo post è fundamentis templum construeretur, fierentque miracula.

Initium verò dedisse, hunc fermè in modum, virum obscurum, ventri que deditum, Nicolaum Lemererium Diæcesis Bambergensis, scribit Ioannes Trithemius. Ille inaudiens anno post Christum natum M. D. I V. quodam in pago Episcopus Bambergensis, Dedicacionem templi fore, cupidè aduolat, culinæ amantior, quam Ecclesiæ. vix re diuina in templo peracta, heluari incipit suis cum combibonibus. Excitat deindè rixam & pugnam, in qua mortiferis plagis afficitur, vt inter aliorum brachia domum relatus, crederetur mox animam efflaturus. *Crapula, radix & fons quidam est malorum omnium.*

Vulneribus confossus, annum integrum, loquela nunq̄, vix sensibus interdum, rarò utebatur ratione. Quicquid morborum est, dixisses in ipsius ca-

*Libell. de
miracul.
B. Virginis
in Dettel-
bach.*

*D. Chry-
sosth. hom.
1. ad po-
pulum An-
tioch.*

put conflatum. Exacto anno & amplius, non nihil redit ad mentem, & religione motus, Diuorum opem auxiliumque poscit, pro valetudine pristina acquirenda. Preces incassum haud mittuntur: nocte enim sequenti, in quiete, species ipsi hominis obijcitur miserescens iuxta ac momentis, restitutum iri, si votum nuncupet, & ad effigiem D. Matris, ante portas opidi Dettelbacensis, cum cereo, veniat supplex. Somno solutus, singula quæ numen suggererat, magna cura exequitur, & præter omnium, qui antè plagas & vulnera non sine horrore quodam aspexerant, spem & exspectationem, meliuscule incipit habere, ac paulatim ad priorem redire valetudinem. Qua confirmata, voti probè memor, cum cereo accedit ad D. Virginis imaginem, Benefactrici suæ acturus gratias. Sed dubium oriebatur; vbi nam locorum donum votiuum (cereus erat vt dixi) relinqueret, cum iuxta Deiparæ statuum, nec domuncula esset, nec tuguriolum. Id etiam diuinitus indicatum. Exitinere fessus, somno graui opprimitur, & per quietem accipit mandatum: euestigiò pergat ad ciuicam domū, ac viris Senatoribus, in eadem tunc morantibus boni publici causa, cereū tradat, simulq; nunciet, omni metu posito ac verecundia, quid secum actum, quantaque sibi, præpotens DEVS, contulerit, per Matrem suam, dona, & beneficia: nec etiam curet, si qui fortè rem gestam & à se narratam, vt vanum & stultum commentum eludant. Audit, & euigilans paret. Ingressus curiam, vt erat edoctus,

reperit

reperit Senatores. Nonnulli inter illos, hominem nouum, noua recensentem portenta, vt stolidum, ridendum & reijciendum iudicabant. Alij autem ætate & prudentia grauiores, rem eiusmodi nequam existimabant negligendam, & alios, in causa necdum satis explorata vt iudices temerarios, acriter obiurgabant. Præterea sibi cæterisque in memoriam reuocabant, quæ dudum à maioribus accepissent suis: æris campani sonum, eò loci, vbi imago colebatur, aliquando auditum, eoq; dubio procul significatum, populi concursum & frequentiam ibidem aliquando futuram. Nicolaus sua apud Senatum legatione perfunctus, pergit hilaris domum, salutem suam vbique diulgans, DEOq; & ipsius Matri adscribens.

CAPVT III.

Cur & quando sacrum facellum fuerit exædificatum?

AB hoc miraculo, Deiparæ effigies, magis magisq; cæpit esse in cultu & veneratione. E finitimis locis vndique confluebant viri, fæminæ, senes, pueri, ciues, pagani, salutem opemque poscentes, & ferentes. Nullus, toto anno, mensis abibat, vix dies, quin ab aduenis

locus

locus ille frequentaretur, & in eodem sacra imago celebraretur. Dona innumera adferebantur. A nonnullis cera, aut vestis: opulentiores pecuniam dabant. Manu vacua pauci accedebant.

Inter hæc, Senatus Dettelbacensis, accensus populorum concursu, donis votiuis, beneficijsque in ægros collatis, impensius locum colere, & tutari institit imaginem. Tuguriolum itaque constructur, ad conseruanda dona contra aëris iniuriam. Ac, tempore procedente, cùm accurrentium cresceret numerus, & dona cumularentur, ciues ipsi seriò cogitare incipiunt de templo construendo, & intra breue tempus consilia sua ad optatum finem perducunt, Reuerendissimo & Illustrissimo Præsule & Duce Franconiæ Laurentio à Bibra annuente, & iam currentibus calcar addente, anno IV. post millesimum, quingentesimum.

Porrò quemadmodum omnium fermè rerum initia exigua sunt, quæ tamen paulatim virescunt & incrementa; sic è tuguriolo primum humili, templum deindè erectum est, quod in magnam molem excreuit, ac tabulis, picturis, sacrisque aris mirificè fuit exornatum.



CAPVT. IV.

Non defuisse, qui populi concurrsum ad facellum improbarent.

ERant tunc viri nonnulli, quibus omni ex parte haud probabatur, rudioris plebeculæ ad D. Matris imaginem concursus, verentes, dolum & fraudem forsitan subesse, simili in causa alibi quoque interdum admissum, non exiguo religionis contemptu, sed veritatem, temporis progressu, miraculorū magnitudo & varietas comprobauit.

Erat per idem tempus, in vico Summerach, vir lingua procax, Ioannes Hofmann nomine, qui fæminas aliquot religiosas ludebat, quod vano miraculorum rumore inductæ, & refamiliari ac domestica neglecta, ad imagunculam Dettelbacensem currebant. Sed pergunt DEO duce & auspice. Ille repente corporis viribus & mente destitui, & paulò post boare, & inconditos edere clamores. Auer-tis vindicem Deiparam? Vide quoque adiutricem. Diuinam ille sentiens vindictam, veneraturus in imagine DEI parentem, fæminas insequitur quas riserat, & assequitur, quin anteuertit. Ad imaginem vbi peruenit, flexis poplitibus, pacem rogat; & linguæ procacis veniam, valetudine recuperata,

C

impe-

*Valrand.
Caout in
libello mi-
raculorum
D. Virg.*

impetrat. Et qui non impetret à benignissima Matre, quæ adiuuare & indulgere semper parata est.

Pænam, similem ob culpam, ducentis abhinc, & amplius, annis, tulit Atrebas quidam, ludibrio habens, virtutes & miracula eximia, apud sacram ædiculam, & fontem Cheruensem, in Hannonia patrata. qui aliquandiu, & oculorum, & linguæ vsum amisit. Vbi verò, aliorum auxilio, ad fontem ductus, menti restitutus est, suam ipse, impiè emissam, in Deiparæ imaginem & nomen, execratus blasphemiam (morbi & infortunij totius causam) supplex sibi condonari culpam rogauit. quam, fauore & meritis Virginis Mariæ, impetratam, quis dubitare aufit?

CAPVT V.

Deus Sacellum recens ædificatum, alijs exornat beneficijs.

Puer raptus à lupo, redditur.



Acro Sacello, DEVS, Diuaque ornatum addunt. Non cogites opus musiuum: non striatas columnas; non parietes macu-

loso marmore vestitos; sed beneficia; quorum tanta copia & varietas, vt dixerim; vix vllum esse morbi genus aut periculi, quod DEI parens, precibus compellata, non curarit, aut depulerit. Quis omnes recenseat in partu adiutas fæminas? quis à vinculis ereptos, vel ex ipsis mortis faucibus liberatos? Magnam illorum copiam habet Ioannes Trithemius, Abbas Spanhaimensis, libello paulò ante nominato. Aliqua recensebimus (plura qui velit, indeumat) & per ea, tanquam vetera, ad noua viam sternemus.

Anno, post Virginis partum, M. D. VI. in vico Bibergau, filiulus Richardi Schiller, fermè quinquennis, è domo se subducit cum falce (sic alios subindè facere notarat) & incautus festinat ad agrum: famelicus ecce lupus inter vepres & dumeta latitans insidiosè, subitò erumpit, & misellum, ad fugam necdum idoneum, apprehendit, oreque prapinguem & optatam prædam tenens, abit festinè. Mox patri, quid cum filio actum suo, significatur; qui, ietus tristissimo nuncio, illicò lupum insequitur, non assequitur. Effusus in lacrymas, pectus percutit; & quid aliud in tam tristici casu fari, quid cogitare poterat, quàm, quod Philo, de Iosephi patre, scriptum reliquit? Fili mi, non tam mortem doleo tuam, quam sepulchri iacturam. Nam si tibi sepulchrum contingeret, non mihi deesset solatium; officiosè assiderem agrotanti ante mortem; impenderem morienti extrema oscula; clauderem & oculos: nihil de funere omitterem.

Fili mi non te homo occidit, sed immitis & carnivora bestia, pascit & saturat se meis visceribus.

Spe itaque omni & humana ope præcisa, patri suggeritur, opem D. Virginis Dettelbacensis supplex petat. Facit, quod diuinitus imperatum. Mater, inquit, Misericordiae, filius mihi tuis precibus restituatur incolumis, tuam ego Dettelbachij colam imaginem precibus ac munere. Res admiratione digna. Vix votum vouerat, lupus ex ore prædam in terram mittit. Fur non velocius, Iudicis imperio, restituisset furtum. Quin ferro quod vix eripuisset venator; ardentibus ad DEVM Diuinamque missæ preces & vota extorquent. Filium itaque suum pater recipit saluum, integrum, nec vlllo in corporis membro læsum. Quo gaudio putas patrem tunc perfusum? sicut ignis, dum parum in lucerna superest olei, fermè extinguitur; nouo autem alimento apposito, quodammodo reuiuiscit, altius assurgit, & clariorem de se mittit splendorem: ita & pater, præ mæstitia animi prius veluti mortuus, nunc vt rediuuus, gaudioque plenus, ex campestri pugna cum filio ouans reuertitur, victoriam reportans non ferro, sed religione comparatam; qua affirmarim & lupum in agnum quodammodo mutatum. *Lupus enim num semper rapax? manè rapiet prædam, ad vespèram, vt agnus diuidet escam.* Rapuit filium lupus, eundem, vt obsequentissimus agnus, patri, cui debebatur, cum fide restituit. Gaudet itaque de filio pater, & de patre, quantum licuit per ætatem, filius; gaudent omnes cernentes, puellum diuinitus seruatum.

*Aug. serm.
14. de san.
ctis.*

Simile

Simile quid contigisse, circa D. Bernardi tempora, videre licet in vita S. Roberti Abbatis Molismensis. Ad cuius tumulum, cum quædam festinaret fœmina pietatis ergò, nocteque superueniente in sylua cum duobus liberis hæere cogetur: lupus adueniens ætate minorem ex illis abripit & fugit. Quid mater? Aduertens filij periculum, fundit ad DEI parentem, & D. Robertum preces, & illum recipit incolumem à bellua voracitatis suæ innatæ oblita. Mirum hoc; sed magis illud, quod commemorat Hugo Abbas Præmonstratensis, in vita Nortberti Archipræsulis Magdeburgensis; qui puero petenti sibi ouium custodem dari, canem puta, respondit: cum lupus aduenerit, & aliquid rapuerit ex grege, iubeto ei nomine nostro, ne quid attingat. Contigit lupum ouem rapere, puerumque præcepti memorem, post lupum clamitare: ouem redderet, sic Dominum mandasse. Lupus, mira DEI benignitate, pecudem illasam dimittit.

Summe DEVS ac immortalis, qui immanes leonum fauces, nè famis rabie adacti, Danielem in lacu deuorarent, tenuisti; & ad restituendam prædam, insidiosè abactam, coëgisti lupum; bestia nè nos apprehendant infernales, suaq; astutia sternant, vires præbe; Tu verò preces, ô Mater
DEI.

CAPVT VI.

Mulier ex casu faucia con-
fanescit.

Quum suæ parentis domicilium pergit
DEVS beneficio exornare, superiori
haud ignobiliore; eodem fermè tempore.

In pago Scheinfeld, fæmina, cui nomen Barbara, rem familiarem curatura, conscendit pergulam, fortè, ex asseribus constructam; dumque non satis circumspicit, & periculum notat, indè cadit in sepe à lignis quernis factam & acuminatis. Cruentatam miserabiliter ex casu fæminam aspicientes aiebant omnes, de vita actum esse; non tamen ipsa: inter cadendum namque, vt alijs postmodum narravit, Mariam in clamauerat, opem eius rogarat; quin sepi adhuc infixam, votum conceperat, sanitate reddita, se imaginem in Sacello Dettelbacensi piè culturam. Audiuit preces Diua. Extracta ab acuminatis sudibus, quibus per casum se induerat, iacuit ad horam (si non amplius) semiuiua, & propemodum exanimis. Tandem ad se reuersa: Gratias tibi, inquit, ago, ô Cœli Regina, quæ rogata, opem non negasti tuam: tuis meritis salutem adeptam sum. Non ego, dum caderem, eram sola; mecum tu eras; tu manum, quando in ipsum meum ruebam exi-

tium,

tium, supponebas. Felix, iterumque felix, qui sub tua degit cura ac tutela. Ab eo tempore, paulatim sanescere cepit, absque vlla medica manu. Sana autem, Dettelbachium proficiscitur, votum bona fide soluit, & munus offert cum laude.

A graui & miserabili casu in peccatum, tuum
apud Filium, nos, precibus serua;
ô Virgo & Mater DEI.

CAPVT. VII.

Surda vsu aurium recipit.



Plendorem adfert Sacello nouo Oxouium quoque, primæ Ecclesiæ Virceburgensis, opidum. In eo, fæmina, anno M. D. VII. ex sæua corporis infirmitate obsurduit, vt vtraque aure capta, nihil audiret, signisque potius ac nutibus, quam verbis cum ea agendum esset. Durauit morbus, duos, & amplius, menses. Prius verò inaudierat, ægris & infirmis multa, per Deiparæ Dettelbacensis imaginem, dona & beneficia concessa: voto itaque de hac salutanda emisso, spem concipit valetudinis, quæ nec irrita fuit; intra paucos enim dies, lata, vsu aurium recepit. Cæterum salus ingrata reddita, fit exitialis. paucis enim post diebus corripitur morbo comitiali, ac fiunt nouissima

priori-

prioribus peiora. Sentiens ergò, noui morbi calamitate oppressa, diuinæ vindictæ pœnam, nouo se voto obstringit adeundi sacellum D. Virginis, colendique parentem Dei precibus ac muneribus: primoque tempore votum, cuius damnata erat, exsoluit, & omnis abit morbus.

Abeamus hinc & nos ad Beneficium aliud, aliudque decus Domus Dettelbacensis.

CAPVT VIII.

Tres viri, maris tempestate iactati, & naufragio proximi seruantur.



ODEM anno, tres viri Carolstadiani; Martinus, Paulus, & Conradus illi appellabantur; incunt, Numinis suasu, consilium de peregrinatione suscipienda in Hispaniam, istic vt sacras venerentur reliquias Iacobi Apostoli, quem Herodes, auspicator regnum recens à Claudio acceptum, memorabili facinore & populo grato, nefariè necari iussit. Eius corpus, vt nonnulli referunt, ad Iriam Flauiam, in extrema Galæcia, diuinitus delatum, & obliuione diu obrutum, tandem hunc fermè in modum inuentum fuit.

Lumi-

Luminibus, inter densissimas noctis tenebras, lucentibus, in vicino nemore, vbi sacrum Apostoli corpus erat defossus: loci Antistes alijque, ludibria nē sint forte oculorum, exploraturi, ad syluam veniunt, dumque magna cura omnia scrutantur, terramque fodiunt, domunculam marmoream reperiunt, in qua beati cineres, & ossa Apostoli asservabantur. DEVS tantum nolebat diutiùs occultatum esse thesaurum. Miracula multa & magna dum ibidem fiunt, & eorum in vulgus fama spargitur, plurimi, ex remotissimis etiam locis, Italia præsertim, Gallia, & Germania, salutaturi sacros Apostoli cineres, in Hispaniam proficiscuntur; quorum pietatem æmulantes; quamvis multis post annis; Viri tres Carolstadiani, eò quoque festinant, contemnentes omnes difficultates & discrimina, ab animi fortitudine Dei que fiducia, quæ in tam longo & perdifficili itinere accidere solent viatoribus. Ad locum demum, bono genio duce, vbi perueniunt, religiosè Apostolum colunt, ejusque venerantur reliquias, cuius sudario, vinctus magicis artibus, solutus est; cuius scipione dæmonum potestas fracta: illius petunt apud Numen preces, quem sibi servator adesse voluit, cum patrem oraturus, secessit in montem oliueti.

Votis ritè persolutis, vbi de abitu cogitare incipiunt, seque mari, non prævidentes rerum discrimina & pericula, committunt: eccè, horribilis & fœda oritur tempestas; vociferantur nauarum; quot

D

quot

quot sunt in nauis, sollicitudine & periculis panè
 exangues, in horas, in momenta singula, mortem
 expectant. Auxilium qui ferret, nemo inuenie-
 batur. Siquidem à terra, quam non videbant, nul-
 la spes affulgebat salutis. Classicum venti cane-
 bant, quasi iratum & procellosum mare impellen-
 tes, vt, vno profundissimoque hiatu, omnes cum
 ipsa nauis absorberet. Cæca & stulta gentilitas, in
 eiusmodi vitæ discrimine, Neptunum inclama-
 set; verùm nostri Carolstadiani ad Maris stellam,
 sidus verè propitium, sese conuertunt, Dei que Ma-
 trem impensè inuocant, voto adiecto, si periculo
 eximantur, incolumesque in patriam reuertantur,
 se eius, & in primis DEI, Dettelbachij de prædica-
 turos beneficia. Audit & exaudit illa. Fluctus se-
 dantur; turbines in lenem dissoluuntur auram;
 lætaque & optata percuntibus redditur tranquili-
 tas. Domum reuersi, ex animo DEO & Di-
 uinæ, in sacello Dettelbacensi, nauiculâ
 è cerâ suspensâ, gratias agunt,
 & beneficium acceptum
 vbique diuul-
 gant.



CAPVT IX.

Puer in ventre, grauissimè læsus
cultro, diuinitus curatur.

IN prouerbio est; non enses furiosis, non cultros pueris, in manus dandos: sæpè enim hi seipsos, illi non rarò alios lædunt. Id ipsum esse verissimum: anno VII. supra millesimum quingentesimum, in vico Leinach, experientia docuit Leonhardum Spor. Filium hic habebat quinquennem, qui cultrum manu versans, in eundem incautus ruit, & tam altè in ventrem, iuxta stomachum, infixit, vt dixisses, vulnus mox ipsam mortem allaturum. Adest mater, aspicit vulnus, vociferatur. Vicini, clamore flebili exciti, aduolant, puerum m̄que reperiunt in terra, mox terræ, omnium sententia, dandum, nisi, qui omnia potest, DEVS adiuuet. Inclamant Deiparam, quæ Dettelbachij agris est auxilio; votium & donum addunt. Inter præsentès, quod admirandum, nullus erat, qui cogitaret, cultrum è pueri ventre extrahendum; omnes instabant precibus. Rectè sanè; rogandus erat ante omnia, qui necis & vitæ dominus; qui plagas solus mortiferas sanat, & sine quo Medici, sit Hippocratis aut Galeni, manus, nequicquam proficit. Tandem mater filio cultrum, non tremula, sed virili extrahit manu. At quis illi mœrorem, quasi ensẽ ex corde?

Deficit illicò corporis viribus, & concidit mente. Erat periculum, ne fatus, cum vterum gestaret, moreretur, & ipsa simul; quin & filius ante saucius. Quot vnis in ædibus funera? DEVS Diuaq; malum auertunt. Redit ad mentem mater; surgit, & ambulat filius, non aliter, ac si nec latus quidem. Vulnus alijs exhibet spectandum, nec ipse ex eo sentit dolorem. Vulnus altum est, nec indè, vel gutta cruoris promanat. O mira: sed vera. Stupent omnes viso antè periculo; vim & DEI manum notant. Parentes animum religione expediunt. Diuam ipsam, in domo Dettelbacensi, veniunt salutatum, & de multiplici accepto beneficio, grates laudesque dicunt.

CAPVT X.

Vir gladio transfixus conualefcit.

ANno M. D. IX. Aliquot ruricolæ, pro more & consuetudine patriæ, hausto immoderatè vino, haud procul ab opido Mergethaimio, rixari incipiunt, & enses stringere. Litem dirempturus, adest Georgius Leuserus (vir sobrius, pacisque amans) nè inter gladios per aëra iam volitantes, perpetretur cædes humana, cuius mater est turpis & fœda ebrietas, enixè cauet: sed non satis sibi. Ab vno litigantium, quem credebat

fib

sibi amicissimum, mucrone infesto transuerberatur. Iacet vulneratus suo in sanguine, & exclamat lachrimabundus. Quid de me futurum, qui iam iam animam emissurus sum infelicem? Rectè, ais, infelicem, non expiatam sacra confessione, aut diuino epulo refectam; necdum ad supremam luctam oleo communitam. Suggestitur ab amicis, iam tristi nuncio euocatis; Deiparam inuocet, votumque nuncupet, adeundi, si præsens enadat mortis periculum, sacellum Dettelbacense, hoc vnicum in rebus deploratis superesse auxilium. morem momentibus gerit, salutis & valetudinis avidus, mortemque tristem euadit. Voti reus, Dettelbachium citrà moram venit, ore factus, quod prius corde vouerat.

CAPVT XI.

Puer epilepticus sanatur.

ANno eodem, in opido Geroltzhouen, puer Epilepsia correptus, D. Virginis ope sanatur. Morbum ne æstimes leuem: eius magnitudinem inter alia ostendunt, vel ipsa nomina multa variaque quibus appellari solet. Veteres sacrum vocabant, ob symptomata, quæ, cum sint omnibus, qui illa experiuntur, grauia & æcerba nimis, non humanitus hominibus accidere, sed diuinitus infligi iudicabatur. Herculeum

alij indigitarunt, quod illo interdum Hercules laborarit aut quod (vti vero similis) nè Hercules quidem, viribus corporis pollens alioquin, ad perferendas morbi istius molestias & difficultates, esset sufficiens. Recentiores, caducum dicunt, & in promptu causa est; nam eo correpti, mox ratione destituuntur, & in terram corruunt, spumant, totoque conuelluntur corpore: à malo autem liberati, sic omnium quæ acciderunt, sunt immemores, vt vulnera in capite, seu alia corporis parte ex casu orta, deprehendant quidem, nescij tamen, vnde puenerint. Sunt denique, qui Comitiales appellant, quia commoueri solet in magna hominum frequentia, tanquam comitijs, ex vapore calidoque spiritu. Et quamuis non dies, non menses, quod in febribus accidere videmus, durare solet; corporis enim vires diu, qui ferrent ac sustinerent? redit tamen, per temporum intervalla, & admodum frequenter, vt nemo non ægritudinis huius agnoscat magnitudinem. Sed Medicum nè hic agimus? omnia iam dicta, eò referuntur, vt beneficij, à Numine impetrati per DEI Matrem, magnitudo cognoscatur, ex grauitate morbi depulsi: qui, cum sæpenumerò ex praua victus ratione contrahatur, haud mirandum, puerum, de quo hic sermo; eodem laborare cæpisse; quippe qui parentum indulgentia (quod & modo non infrequens) vino nimio se onerare solitus esset. O malum in Germania commune nimis, nec curatu facile. Vt olim, tristissimo aquarum diluuiò, terra

obru-

obruta fuit, omnesque eius incolæ, paucissimis exceptis, extincti miserè; ità his temporibus deploratissimis, ebrietate & comotatione, quasi diluuiò aliquo, opprimi videmus, omnis ætatis homines, & quod summè dolendum, etiam pueros. Huius ergò farinae etiam iste cùm esset, de quo nunc scribimus, ac die quodam merum hausisset largius, addendo ignem igni, morbus accessit comitialis, qui sic illum afflixit, vt ex ore naribusque, tanquam è canali quodam, cruor magna copia promanaret, multiq̃ue iudicarent, protinus ipsam mortem securam. Conterriti parentes morbi vehementia: non amuleta adhibent; non vocant Medicum; non artes, olim & jam damnatas, exercent ad pellendum malum; sed DEVM, Diuamq̃ue deprecantur, vt morbum, vires humanas superantem, curent; vouent quoque, si audiantur preces, ad Dettelbaense sacellum se, vna cum filio, venturos ac paris infirmo ponderis ceream effigiem oblaturos. Non irritæ preces votum uè. Puer enim à morbo integrè curatus est, & parentes, optati compotes facti, grates laudesque B. Virgini dicunt.



CAPVT XII.

Horreum Agricolaë ab incendio
seruatur.

Non solum vitam mortalium, sed etiam
fortunas, sibi cordi esse, sub idem tempus,
ostendit Virgo & Mater DEI.

Nebulones aliquot impuri, ibant perditum
agricolas, in vico Albertzhausen; nihilque aliud
animo agitabant, quam vt igne, vel in vnam do-
mum iniecto, omnes incenderent, incolasque, nul-
lo innocentum habito discrimine, ad supremam
egestatem & inopiam redigerent. Itanè homo in
hominem scuit? Nocte igitur quadam accedunt,
nefandum scelus, iam animo coctum, patraturi, &
ignitas sagittas, in cuiusdam horreum frumenti ple-
num (mellis vix abierat) dextrè, sed scelerate, mit-
tunt; haud dubitantes, mox securum incendium,
quod vires eas, cunctis altè sternentibus, acquirat,
vt quotquot somno excitati accurrant, flammam
grassantem restincturi, incassum laboraturi sint.

Vigilabat, ob metum sibi alijsque iam inie-
ctum, ille ipse, cui damnum parabatur; ignemque
in suum horreum inferri cernebat; sed animo timi-
dior, vicinis periculum denunciare non audet; ve-
ritus, nè domo egressus à latronibus plagis afficia-
tur, suasque tutando fruges, extremum vitæ discri-

men

men adeat. Miser inter eiusmodi angustias, rerum-
 que discrimina constitutus, quid agat? Videt peri-
 cula, doletque, ex iam orituro incendio, annui la-
 boris fructum omnem, quasi momento, interitu-
 ram; nec quicquam fore reliquum, quo se, vxo-
 rem, liberosque suos aliat: quo autem modo sibi,
 suisque humanitus succurri queat, non videt. Itaque
 DEVM inuocat ac precatur, vt, qui omnes in or-
 be locupleti manu alit animantes, nocumentum
 præsens clementer auertat, ac fruges sudore & al-
 gore conquiritas in sui & familiae alimoniã, à flamma
 conseruet. Addit & votum, suæ si audiantur
 preces, se cum votiuo dono ad Sacellum Dettel-
 bacense accessurum, memoremque accepti benefi-
 cij futurum. Res mira. Ignis in horreum missus, nec
 stramen, nec paleas accendit. Naturamne mutauit
 vnus hominis religio? non mutauit, sed eius re-
 pressit virtutem: ignem non extinxit, sed cum ar-
 deret, vim abstulit. Ruricola ergo potentiam &
 virtutem Numinis agnoscens, abeuntibus noctur-
 nis conatu irrito incendiarijs, gaudio ipse plenus
 Dettelbachium abit, domicilij & frugum suarum
 seruatrici grates dicturus immortales.

CAPVT. XIII.

Sagitta in fronte vulneratus
sanatur.

Non desinit DEVS, eodem tempore, signis
 ac miraculis, esse munificus in exornanda
 domo Mariana Dettelbacensi.

Quidam, Georgius nomine, Bambergensis, arte chirurgus; ex opido Bischofsheim (Archiepiscopo Moguntinensi illud paret) profecturus Wirceburgum, comites sibi quarit, & mercatorum VVirceburgensium aliquos reperit. itinera namq; infesta erant, nec probro ducebatur, prædari, & hac arte rem augere familiarem. Viam mense Septembri ingrediuntur, & pro more viatorum, horas aliquot iucundis confabulationibus terunt. Ad locum vbi peruentum, qui, *Zum kalten Loch*, vulgò nuncupatur: prædones quatuor equites è sylua prorumpunt, enses stringunt, vim inferunt, marsupia scrutantur; & chirurgum, dextrum iuxta oculum, grauissimè vulnerant. Saucius cadit, ac telum capiti infixum retinens, mortuo iacet quàm viuò similior. Territus verò instantis mortis periculo, post DEVM, omnem spem, in B. Virgine, salutis & curationis ponit; vt qui iam multa audisset de Miraculis, in Dettelbacensi domicilio Mariano, patrat. Infelix, ait, ego peccator, mente ad te recurrens, supplex oro: vt non secus mihi, quàm antehac alijs, manus præbeas auxiliares. Si meo huic factum fuerit satis desiderio, in tua domo, iam vbiq; peruulgata & beneficijs illustrata, beneficij huius impigrum me fore præconem, sanctè polliceor. Mirum dictu; voto concepto, contra omnium opinionem, surgit, & latronibus fugientibus, iter cum socijs, è recenti periculo adhuc trepidis, resumit, & quo tendebat, eodem die, VVirceburgum peruenit; vndè, effigie hominis cærea prius ibidem

com-

comparata, demum Dettelbachium proficiscitur, votum ex itinere exoluturus. Accipit donum Diua Mater, & domui suæ noua parat beneficia.

CAPVT XIV.

Mulier in partu euadit mortis
discrimen.

IN pago, non procul à Rotenburgo, opido imperiali: mulier in partu periclitatur; nec vnā alteramue horam, sed totum triduum, dolores sustinet incredibiles, verbo vno, parturientis. DEVS; quantum tuos exerces? Fœtum quo vrgebatur, cū effundere nequiret, fœminæ auxiliij ferendi gratia præsentēs, concordibus sententijs pronunciant, actum de vita; imò fœtum in vtero statim, matrem in obstetricum manibus morituram. Clamores itaque & fletus, in vniuersa domo. Cæterum humanis absentibus auxilijs, diuina succedunt. Fœtus inter materna adhuc hærens viscera, brachium exerit, extremum quasi Vale præsentibus denunciaturus, simul & sacri Baptismi fontem petiturus. Quo deficiente, quid superest, è D. Augustini sententia, præter mortem æternam?

Obstetrix, cæteris longè prudentior, minimeq; tarda in alienæ salutis cura, euestigiò aqua, corpo-

*Epist. 20.
ad D. Hieronymum.*


ris quod extabat membrum, verbis diuinis ritè pronuntiatis, aspergit & baptizat. Et eccè, vix Christo renatus; necdum mundo natus, edit animam; & prius quodammodò æternæ adipiscitur vitæ dignitatem, quàm præsentis vsuram acceperit.

Mater sibi, iam iam omnium sententia morituræ, dapem diuinam dari rogat, oleumq; sacrum, ad luctam supremam contra genios tartareos, applicari. Diuam nihilominus Virginem in mente habens, votum addit: mortem, non amplius dubiam, sed certam, si euadat; se tanti beneficij, & Dettelbacensi in æde, & alibi æternum memorem futuram. Vix dixerat, & foetu exciso, ô dolores, vitam viresque recipit.

Quapropter Diua laudum præconia fudit.

CAPVT XV.

Quidam calculo & asthmate liberatur.

 Rescit per idē tempus, Beneficijs nouis, Sacelli celebritas. Sacerdos asthmate curatur & calculo. Nomen suppressitur, cum ipsemet, qui diuinitus sanatus, occultatum esse voluerit. Sed cur tegit? Secreta Regis prodere, vituperium adfert: laudem verò eximiā, nomen suum etiam euulgare, quando indè maior

rei

rei diuinitus gestæ, fides adstruitur. Diuulgentur in omnes orbis angulos D. Matris opera admiranda. Res sic accidit. Anonimus calculo laborans, immensos perferebat cruciatus. Fama enim habet: dentium, aurium, oculorum dolores acutos esse; natum ex calculo, omnibus maiorem. Causa minuendi doloris, nulla remedia negligebantur; sed enim alijs salutaria, huic adhibita, nil salutis adferebant. Morbus non humanis viribus erat curandus. Damnata itaque omni Medicorum spe, D. Mariam implorat: Pia DEI genitrix, inquit, in numeros vsquè huc cùm curaueris, neminemq; supplicem tibi factum reieceris. ego etiã infelix animo ad te recurro; quin, per te, ad filium tuum; humillimè rogans, vt calculus à me molestissimus auferatur, & infirmis hisce labantibusque membris optata sanitas redeat. Spondeo, si preces mixtæ lachrymis audiantur, me Dettelbachium venturum, & expertam opem impensè prædicaturum. Somno, ob morbi vehementiam, deindè opprimitur, moxque euigilans, depulso morbi malo, incolumem se deprehendit. Itaque voti compos factus, nè sit ingratus, gratias acturus, confestim Dettelbachiũ pergit: illic tamen accepti à Deo muneris, nè seipsum commendaret, nullum reliquit monumentum. Biennio post, nouo morbo affligitur, asthma & suspirio. Igne vt aurum, sic morbis hic molestissimis probatur. Sed expertæ iam aliàs opis Marianæ memor, Mariam denuò inuocat; & ad priorem redit valetudinem.

Damasc.
ser. 2. de
dormitio:
Deipara.

Aue gaudij pelagus inexhaustum; aue unicum molestiarum leuamen; aue omnium cordis dolorum medicamentum. aue S. Maria, per quam mors fuit expulsa, vita autem introducta.

CAPVT XVI.

Diuinitus, grauissimè ab equo læsus, valetudinem recipit.



Ecdum Beneficiorum, in sacello Dettelbacensi acceptorum, finis. Anno enim M. D. XI. Cænobij VVirceburgensis, cui à protomartyre Stephano nomen est, Antistes, quendam suos inter famulos alebat, qui rusticorum prædium in vico Dürbach curaret; sed eheu, non satis ille seipsum; Adelbertus vocabatur. Die enim quadam cum incautiùs equum, opinione sua mansuetum, tractat, ab eo calce petitus in terram prosternitur, & confestim è naribus, auribus, ore, largissimè cruor manat. Hominis ante serui, nunc faucij & vulnerati, infortunio magno euocati vicini, adsunt, & cruore vulnereque deformatum in domum referunt, certò persuasi, mox moriturum. Cæreum sacrum, si habuissent; ut potè agenti animam & iam expiraturo; dedissent in manus. Animo itaque consternati cuncti, magna Virginis opem, alia cum non affulgerent præsidia,

inuo-

inuocant; & votiuam ad ipsum sacellum Marianū peregrinationem addunt. Audiuit vota precesq; Deus, ac Diua. Morti quàm vitæ vicinior, mentem recuperat; votumq; inaudiens sui causa emissum, probat; & integrè, verbo vno, conualefcit; nec vulneris alicuius in eo apparet cicatrix. Sanus ergò ac latus, altero, à vulnere accepto, die, Dettelbachium proficiscitur, illicq; salutis suæ agnoscit & prædicat auctorem. Fuêre miraculi testes, Conradus Canobij Antistes, Procurator item peni, alijque loci incolæ. Ad hæc quid improbi? Ringuntur. Intimè gaudent boni. Hos imitemur; & perenne per Diuam, à DEO, petamus gaudium.

Finiet iam vetera domicilij Mariani Beneficia, Vir morbo Gallico deformatus. Inter vasa namque aurea, & terreum subindè abacum exornat.

CAPVT XVII.

Vir, morbo Gallico laborans,
fanatur.

ANno M. D. XI. non procul Forchemio, in pago Eckelshaim, vir quidam, Martinus nomine, morbo Gallico inficitur. Sed quis ille morbus & vnde? Maioribus nostris, nec visus, nec cognitus. Lues est, qua caput, & barba depilari solent, faciesq; mirum in mo-

dum

dum deformari. Enatis in corpore bubonibus, corrumpuntur & exeduntur viscera; & nisi mox adsit medici manus, serpit malum, & adfert interitum.

Inter Europæos, huius contagionis originem, gens una in aliam deriuat. Morbum Gallicum, dicunt Itali: Galli, Neapolitanum. Afri, Hispanicum. Ex nouo orbe in Europam missum, peritiores opinantur in hunc ferè modum. Cum ad oppugnandam, in Italia, Neapolim, omnium penè gentium & nationum confluerent milites, nec à venere, infixis ipsi visceribus vitio, abstinerent, corporum libidinoso contactu, vis luis istius ita inualuit, sumpsitque incrementa, vt intra Italiam haud constitit: sed in Hispaniam, Galliam, & Germaniam, cum venere, sese effuderit.

Hac igitur, vt antè commemoratum, Martinus, fædè contaminatus, iacuit multo tempore æger; omni propemodum membrorum vsu destitutus. Angebat miserū haud dubiè; quod nec promptè, nec alacriter satis, quemadmodum alijs in morbis fieri solet, secū homines conuersarentur. Sed quid mirum? fœdus aspectus corporis, & fætor è carne corrupta promanans, accedentes subito abstraheret. Humana igitur arte cum morbus non curaretur, Numen æger cogitat & implorat, Deiq; vouet Parenti, si à turpi & diuturno morbo curetur, se sacellum Dettelbacense inuisurum, & aliquo etiam dono condecoraturum. Audit illa. Conualescit hic, summa plurimorum admiratione. Votumque lætus exequitur.

Veterum Beneficiorum alia multa, lubens præmittimus; nam satis iam Numen Agnoscimus, & tuæ, ô DEI Mater, beneficentiæ copiam. Videmus sat superque exornatum Domicilium tuum æuo superiori. Noua in posterum Beneficia intraque annos non ita multos collata, ope tua freti, recensēbimus. non alio fine, Numen testamur, quàm vt, quicquid ob Religionis in Germania dissidium, de fama & existimatione tua est detractum, sic etiam modo aliquo restituatur. Deinde, vt qui antehac ad synceriora fidei dogmata, hac in Diœcesi, reducti sunt, ampliùs in eisdem corroborentur, quique longiùs aberrant, & cæcutiunt, mira opera & supra naturam cernentes, clausos oculos aperiant, & ad Ecclesiæ gremium, meliori lumine illustrati reuertantur.

SEQVNTVR

BENEFICIA NOVA
SEV RECENTIORA.

CAPVT XVIII.

**Mulier à Cacodæmone
liberatur.**

DIVA Virgo & DEI Mater, vim & virtutem suam, non minùs in dæmonibus pellendis, paucis abhinc annis, quàm ægritudinibus curandis, æuo superiori, palam ostendit.

Anno M. D. XC. Mulierem, VVirceburgi (Annæ ipsi nomen erat) inuadit dæmon; & mox in ea sibi figit domicilium, quasi nunquam abiturus. Causam non inquiramus, ne occulta DEI iudicia scrutari velle videamur. Hostis, arrepta optata possessione, hospitem à statu deijcit suo; linguam obstupescit; turbat, qua potest peruersitate, mentem; omnia inuertit, quò foeda appareat illius omnibus facies. Spes licet aliqua subinde affulgeret; cessisse importunum exagitatore; simulare tamen, & duntaxat fallere voluisse, tandem fuit deprehensum. Remedia vtilia haud omittebantur. Verùm cum omnia fierent frustra; amici & in primis Exorcista, vir pius iuxta & doctus, Dettelbachium respiciunt, commune miserorum refugium. Prudenter omnino; nam quemadmodum victoriam plerumque referunt, qui nacti loci opportunitatem, hostem in bello animosè adoriuntur: sic illi, sacri Sacelli, & in eodem D. Virginis confidentes præsentia, salutem omnino, pulso dæmone, ipsius Energumænæ sperabant. Pergunt ergò spe pleni. Dæmones contrà, salubri illorum consilio & itinere obstare & reniti. Et sicuti ad rotam latro, fur ad furcam, ad ignem magus & veneficus, inuiti rapiuntur: ita ad Sacellum augustum spiritus tartarei; quòd se ibidem domicilio suo, cum infamia & dedecore, pulsum iri ominentur. Vbi ad sacros parietes peruentum; adest, cui hoc iam datum erat negotium Exorcista, instructus aqua lustrali, alijsque armis damnatis diabolo; coniurationes adhibet,

& de-

& deprehendit longè plures, quàm putarat, dæmones aduolasse; quin nec tot insidere coruos cadaueri, quot in Energumena hæc bestias infernales. Interrogati, cur & vnde venissent: è Sicilia aiunt; vbi, vni à nobis persuasum, vt, salute desperata, laqueo gulam sibi frangeret. Iussi subito cedere; renuunt omnino, fortiterque resistunt, indignum rati, sic repente nouis sedibus eijci. Loquuntur & linguis peregrinis, Græca præsertim. Demum vbi cedendum esse, fortioris imperio, animaduertunt; in quorundam auriculas migrare sibi rogant fieri potestatem.

Inter hæc multus confluxerat populus: & cum periculum esset, multos vana quadam curiositate inductos accurrisse, Energumenâ in sacrarium Sacelli abductâ, nouis exorcismis, vt citra moram cedant, dæmones vrgentur. Prolixiores & preces adhibentur. Audit denique Virgo & Mater DEI, atque adest ope sua. Frangitur hostis, & tota malorum geniorum turba abit.

Aduersarij, quando rident Exorcismos, aliasque Ecclesiæ consuetas religiones in fugandis dæmonibus, an non magis ipsi ridendi, qui ne semel, (sexcenties etsi tentarint) vel vnum, suis placitis & dogmatibus stabiliendis, eijcere potuerunt? Ludus, quem dæmon olim luserit cum Luthero, notus omnibus. Eiecturus à puella genium malum, VVittenbergæ, ita ab eo risus fuit, simulque teritus, vt mirè angi, & discrucitari primò, deinde per sacrarij ostium sibi abitum parare cœperit,

Serm. 91.

quod cum, intra & extra, ita inuenisset obseratum, ut à nemine potuerit referari; effugium tandem sibi, securi ferrea per cancellos immissa, qua ostium perfractum est, parare debuit. Videmus potestatem, si hæc sit, in fugandis dæmonibus aduersariorum; qui ut nostram eleuent, abiecto omni pudore, dicere haud verentur; simulare, qui aiunt se à dæmone liberatos. Sed ad hæc, quid D. Ambrosius? *Audiui* (inquit) *multa componi; hoc nemo unquam fingere potuit; ut demoniacum se esse simularet. Quid illud; quod ita eos exagitari videmus, quibus manus imponitur? ubi hic locus fraudi est? ubi suspicio simulandi? confitetur Diabolus, cedit plagis Diabolus, & cedere nesciunt Arriani. Diuorum operibus inuident, quia in illis fidem, quam ipsi non habent, fuisse iudicant.*

CAPVT XIX.

Non moritur puer merfus
in puteo.

Nno post Christum natum, M.D.XCVII, in vico Effeldorff, dimidio circiter milliari ab ipsa æde Dettelbacensi abiuncto, Bartholomæus Dulck, Prætor ibidem, mense Septembri exeunte, Wirceburgum proficiscitur. Ruricola interim mater, rem curat familiarem, non

tamen

tamen filium vix trimulum ; qui in scijs omnibus, è domo se subducens, incautus suum in exitium ru-
it. Absentem dum notat mater : oculis & affectu
vbique per domum quærit. Non inuento, properat
ad ædes vicinas, sciscitatur sedulò ; Laurentium
(hoc puero nomen erat) aliquisne viderit, aut vbi
locorum inueniendus, sciat ? Cunctis, quos com-
pellabat, constanter negantibus, puerum se vidisse ;
interno quodam instinctu (DEVS illum dabat)
ad puteum currit ædibus proximum, ibine sit in-
trospicit : & , quod præfagiebat animus mœstus, vi-
det sub aquismersum. Tristespectaculum. Lon-
gè tristiùs ; quando extractum videt vitali calore
destitutum. Parum aberat ; quin ob mœrorem
collaberetur & ipsa, & alterum fieret funus ; quin
etiam tertium eius maritus domum reuertens.
Inopes consilij in tanto luctu ; ignem adhibent non
imprudenter, (si malum humanis viribus curan-
dum erat) vt sic vitalis in puero calor reuocaretur ;
hausta quoque aqua, vt effluat, capite ad terram
verso, tenent puellum. Sed sine fructu cuncta. Fit
ergo gemitus & comploratio. Inter cætera, istud
maximè stimulabat parentes, filium vix natum mo-
ri, & tam miserabili lethi genere extingui. Iraque
in re deplorata, ad cœlum, vnde non fallax auxili-
um, manus tendunt. Fuit qui inspiraret (& quis ni-
si Numen ?) DEI parentem votis vocibusque in-
uocandam. Facit hoc pater, à turba & grege foemi-
narum, quæ opem laturæ accurrerant seiunctus :
Vel semel, exclamans, quàm sepeliatur, ô potens,

Ô benigna Mater DEI, videre filium viuum liceat;
 Et ecce: inter mortua voce puellus semel iterum-
 que dicit pater, pater: ac denuò voce & spiritu de-
 stituitur. Corde etiam votum concipit mater; al-
 teraque mox die, voto erecta, ad Sacellum sacrum
 festinat, pedibus nudis, vberioris auxilij impetran-
 di causa, ferens panis inuolutam, ceu vespillo quis-
 piam in sandapila, sobolem suam. Viri iuxta & foe-
 minæ, eam sequebantur, ceu funus comitantes.
 Vix Sacellum aspexerat, intraque limen venerat,
 cum vitalis calor in puero artibus reddi, spiritus
 meare, & ipse pedibus insistere. Mater ipsum, vt re-
 diuuium, respiciens, cereum illi in manus tradit,
 sacram salutaram, remque diuinam pro illo fieri
 curat. Abitura, Auxiliatrici Virgini Mariæ, post
 DEVM, dicit gratias. Sed puer à reditu iterum sen-
 sibus, iterum quodammodo calore vitali destitui-
 tur, carne in latere sinistro rubescente. Post hanc
 rubedinem, tria in eadem corporis parte, oriuntur
 foramina. Iurasses; nouum misello creatum va-
 letudinis periculum. Verùm sic non erat. DEVS
 illum integrè perfecteque volebat sanatum. Aqua
 vbi effluxit hausta à puero, confestim, & absque ma-
 nu medici, sponte vulnera coeunt. Vide diuinam
 vim, & Deiparæ bonitatem.

Psalm. 65.

Tu puer, Liberatricem tuam, semper in men-
 te habe. Corporis sanitatem consecutus, ac nouam
 quodammodò vitam, caue animi perdas. Ciues
 conuocatos. Dic cum vate Regio: Venite, au-
 dite, vobis narrabo, quanta DEVS fecerit anima

mea.

meæ. Eram quasi mortuus, & reuixi. Vana adferri, & supra verum efferri, si sint qui dicant, ne cures. Fides, si tibi vt puero non adhibeatur; testes haud defunt, Caspar Schlerid, Ludouicus Stahl, Bernardus Steyervald, & complures alij; in quorum pænè oculis omnia gesta, & eorundem testimonia, hac de re, in publicas tabulas relata sunt. Verùm, si nonnulli, & hos viros, vita alioquin moribusque integros, de fide suspectos habeant: Tu puer, tuis & testium dictis, qui fidem adstruat, similia, imò & maiora longè, olim euenisse Diuorum meritis, produc Africa Antistitem, & Ecclesiæ Doctorem D. Augustinum. Eleusinus, vir tribunitius, inquit ille, super memoriam Martyris, ægritudine exanimatum posuit filium suum infantulum; post orationem cum lacrymis profusam, viuentem leuauit. Necdum credis? Addit ille; boues exorbitantes & vehiculum trahentes, puerum in area ludentem, rota obtriuisse; matrem verò, arreptum ad memoriam tulisse Martyris, nec solùm reuixisse, sed & illæsum omnino apparuisse. Vetusta sunt dices. Fate-mur; sed & similia nostro, ac superiori æuo, fieri posse curabueremus? Refert Trithemius, Anno M. D. X. in vico Rependorf, puellam aquis mer-sam, & horis aliquot exanimem, reuixisse D. Virgi-nis beneficio, quam parentes rogarant adiecto vo-to, se vestem sacerdotis sacrificantis sericam, sacello Dettelbacensi, donaturos; quod & bona fide ex-ecuti sunt. Fiunt itaque & nunc Miracula, eodem semper DEO auctore, modò per Protomartyrem

*lib. 22. de
ciuitate
Dei. c. 8.*

ibidem.

*De Mirac.
B. Virginis
in Dettel-
bach.*

Stepha-

Hom. 2.
super mis-
sus est.

Vida in
hym: Ma-
gnae Matri
Virgini.

Stephanum, modò per Deiparam Virginem, quæ
(vt D. Bernardus ait) ipsa est præclara, & eximia stel-
la, super hoc mare magnum & spatiosum necessario suble-
uata. Ergò

*Nunc, ô Stella maris nostri nos aspice præfens:
Eripe tot pelagi pene haustos fluctibus atris.
Nunc lucem, lucisq; tua iubar exere, & orbi
Exorere, ac radys nigrantem discute nubem.*

CAPVT XX.

Valetudinem recipit pleuriti-
de laborans.



Irceburgum iterum Deiparæ experitur
opem & auxilium. Anno enim à Chri-
sto nato, M. DC. I. Ecclesiæ Haugen-
sis Canonicus, S. Theologiæ Doctor (no-
men suppressi rogauit) repentino corripitur mor-
bo. Quò celerior autem certiorque sit curatio, plu-
res aduocat Medicos, qui notantes pleuritide eum
laborare, citra vllam moram, venam, iuxta artem
medicam, incidi mandant. Sequitur æger Medi-
corum præscriptum; sed leuamento nullo. Mor-
bus aduersus remedium manet ferox & contumax,
punctionesque haud aliter, quàm acuti cultrelli,
ipsum latus lancinant, & quasi acutis stimulis cor
ipsum fodiunt.

Auxi-

Auxilijs medentium desperatis, non iam cum morbo, sed ipsa morte, luctari videbatur. Medicum ergò animi petit; & per exomologesin expiatus, epulo cœlesti reficitur. Haugensis Curio, qui solamen daturus accesserat, abiens multa nocte, noctem decretoriam adesse pronunciat, ægrumque ægrè horas aliquot superuicturum. Vale ergò supremum dum ei dicit; marent parentes iam senio graues, filium sibi in flore ætatis abripi, vnicum, Sacerdotem, Theologum, iam matri, iam patri præsidium ac decus. Agro, tertiam noctem in somni, suggeritur; voueat, iturum se ad Domicilium Dettelbacense, & in eo laudaturum cœli Reginam, priori sanitati si restituatur. Audit, & probat consilium à Numine datum, & mox sequitur somnus non longus; tres enim quasi post horas euigilans, sentit omnem in latere dolorem detersum. O salutaris somnus, qui sic aufert lateris punctiones. Subitam curationem mirantur parentes; magis ipsi Medici, prima luce venientes; imò quotquot sunt in domo. Curatus iam, surgit à lecto; redit ad vires; acturus gratias, duos post dies, pergit ad templum Haugense, mox & Dettelbachium; & , è tholo, suspendit cor cercum aliquot pondo, testatus eo ipso, suum, à grauissimis doloribus, acutissimisque punctiõibus, D. Matris ope & auxilio, cor liberatum. Rectè sanè, iuxta veterem in Ecclesia morem & consuetudinem. *Alij, inquit Theodoretus, oculorum, alij verò pedum, alij porrò manuum simulachra suspendunt,*

lib 8. de.
cur: Grec:
affect.

G

ex ar.

Psalm. 3.

ex argento auroque confecta. Gratissimè accipit eorum Dominus, qualiacunque sint dona, nec exigua, nec vilia dedignatur. Benefactori suo acclamet ita curatus. Dormiui & somnum capi, sanus exsurrexi, quia Dominus suscepit me.

CAPVT XXI.

Vir è carcere se subducens, compedes Dettelbacensi imagini dat & dicat.



Nno M. DC. II. in opido Kitzinga, Caspar Braun, lanius opificio, turpem, captus obscena voluptate, libidinem exercet: sua non contentus coniuge, rem etiam cum illius sorore habet, seque adulterio & incestu polluit. Facinus, vbi Magistratui innotuit, imperatur apparitoribus, hominem impurum & scelestum quarant, inuentumque in turrim conijciant, luce & communi hominum conuictu indignum. Magna cura cuncta fiunt. inuento, compedes iniiciuntur nè elabatur, quod haud rarò moluntur extremo supplicio afficiendi. Cauetur etiam, ne vllum, quo sibi effugium paret, habeat instrumentum. Miser, desperata apud homines salute, quid agat aliud, quàm vt eam, à Numine precetur. DEVM ergò, vt liberetur, supplex rogat. Nun-

cupat

cupat & votum, si à vinculis solutus, carceris squalores, capitisque supplicium imminens euadat, se in Mariano Domicilio DEVM & Diuam veneraturum. Qui nullius vult mortē peccatoris, adest huius etiā votis ac suspirijs. Cubiculi, in quo hærebat vinctus, porta reſeratur, & compedes soluuntur. Lima aut ferro, quis affirmarit? cū supplicium capitis promeriti, ad induſium vsque, nè quid huiusmodi apud illos sit, plerumque excutiantur. Vt vt sit, vinculis solutis, elabendi occasionem, sibi diuinitus datam, nequaquā cogitabat negligendam. Confestim fune è stramine parato, de carceris fenestra se demittit. Liber, lætus ad Sacellum dudum optatum properat, summas DEO, ipsiusque Parenti, dicit gratias. Ne manu vacua compareat, quod sedulo cauent accedentes, donum offert. Vestem nè expectes, à paupere auream, Attalicam, aut Damasce-
nam. Non simulacrum argenteum, aut monile pretiosum. Funem ipsum stramineum, compedes suos ac vincula dono dat; non tam sceleris quondam admissi, quàm hominis à supplicio seruati, testes indubitatos, & indices. Nè quoque salus & incolumitas sibi, per Dei matrem, impetrata, ciues suos deinceps lateat, ipsis nunciari curat; compedes, & funem salutis suæ instrumentum, in templo Dettelbacensi è tholo suspensa; veraque à se narrari, quemuis comperturum, si eo veniat. Veniunt; vident non pauci, stupent, abeunt. Abiremus & nos, ab hoc beneficio, subiuncturi nouum; nisi dubitatio uncularum obstaret, iam fortè, quorundam animis

imprensa. Vero simile non esse, DEVM Diuam-
 que, facinorosis opitulari, vt vinculis expediti,
 impunè abeant, omnemque pœnam effugiant, sce-
 leribus ipsorum debitam, & ab Iustitiæ ministris
 iam destinatam. Non sic est; cum enim commu-
 nis omnium sit parens & custos, homines, etiam
 omnis generis, benignè respicit & iuuat, suæque be-
 nignitatis ac opis vult esse participes. Accedit; ho-
 minem, de quo nunc sermo, carcere quidem solu-
 tum, magnam nihilominus, diebus, quin etiam
 horis, momentisque panè singulis, sustinere pœ-
 nam. Exul est, vt habet fama, vagus & profugus,
 nulloque certo loco subsistit; sed huc illuc perer-
 rans, hominumque conspectum fugiens, sat mise-
 ram ducit vitam. Cæterum; sic nullum, inquires,
 ipsi, aut profectò exiguum admodum beneficium,
 à DEO per matrem suam fuisse præstitum. Absit
 sic cogitare. Mortem effugisse, vxori, liberis, & vni-
 uersæ familiæ ignominiosam, multumque probro-
 sam, non vulgare donum; longiorem item vitam
 impetrasse, quo peccatum, eheu grandè fatis, con-
 digna pœna eluatur.

Sic Trib.

Dei para; vinc̄tos quoque sua sub tutela habeat,
 & patrociniò. Eius verò beneficio à vinculis libera-
 ti, æternùm sint grati. Egregiè hoc præstitit annis
 abhinc centum, Valentinus Waldtsacks; qui à car-
 cere, à vinculis expeditus, cereum votiuum vastæ
 magnitudinis (centum pondo) in Sacello Ma-
 riano, DEI Matri consecrauit.

CA-

CAPVT XXII.

Fulmine tactus, post morbum
annuum, valetudinem
recipit.



Orunt, quotquot versantur in castris Catholicorum, aduersus cœli tempestates, arma sacra adhiberi. Cùm enim ingruunt tonitrua: mox pulsatur æs campanum, cuius vel sono, multorum animi haud parùm metu consternati, erigi & confirmari solent. Nec mirum; cùm, in illius benedictione, Antistes, Numen roget supplex, vt quemadmodum muri quondam, quibus aduersantium einge batur exercit⁹, tubarum clangore, corruerint; sic æris campani sono, fulminum percussio, læsioque tempestatum fugentur.

Iosue 6.

Hæc eò præmittimus; nam anno M. DC. III. pridie Idus Maij, cùm horribilis instaret tempestas, fulgura in aère micarent, cœlique tristis esset facies, in vico Grossen Eybstadt, hora pomeridiana quasi secunda, festinat ad templum, æs campanum ibidem appensum pulsaturus Valentinus Beer. quod dum facit; icitur fulmine, vt fæda eius in vultu altera esset maxilla, & ipsum pectus læsum, quin & vestes ambustæ, & fracta ossa extrema in cubito læuo, genuque dextro. Adest mox templi custos, qui notarat in templum fulmen incidisse, reperitq;

adoleſcentem humi, in angulo quodam proſtratum, exanimem magis quàm viuum. Patrem vocat, qui accurrens ad triſte ſpectaculum, quin corrueret, parum aberat. Saucius in maſtra deſertur domum, malum què vires acquirit & incrementum. Triduo poſt, fit im-poſ mentis, furit, miris què modo agit caput. Quid autem ſolatij in iſto caſu calamitoſo, quid auxiliij? DEVS, quem humilimis rogabant precibus parentes, de Sacello Mariano Dettelbacenſi inijcit cogitationem; quam dum probant, votum què concipiunt, pro filij ſalute, ſi præſens euadat periculum, ſe impigrè curaturos, vt quotannis ille, ſacrum Domicilium, cum dono, inuiſat, aut infirmitate corporis impeditus, ſtipem conferat in pauperes. Mox quidem ille redijt ad ſe; non tamen ad valetudinem priſtinam; annum pænè totum medicina adhibita, ſed fruſtrà, claudus manſit, & ſine vſu dextri pedis.

Exierat iam annus, cùm filium, die, quo petitus fuerat fulmine, anniuerſario, Dettelbachium curant deſerri, vt ſupplex à DEO, & Diua medicinam roget, quando humana amplius nulla proficiat. Rogat, & fit voti compos. Fulcris enim ſubalaribus in Sacello relictis, à reditu indies fortius inſiſtere pedibus, & ambulare capit. Quin imò ab eo tempore, quater Dettelbachium venit, votum què bona fide perſoluit, tibia autem etſi necdum ſanata; (ſic aduerſis DEVS probat ſuos) tamen in gradiendo, nullam prorsus, niſi curſu forſàn, aut longo itinere fatiget pedem, experitur difficultatem.

Sed

Sed hic mihi audire videor mussantem Magisterculum. Si vis quædam, aduersus fulmina, inest campanis consecratis, quid causæ est, quod ille ipse, qui eas contra fulmen mouit, fulmine sit tactus? Damis censendi timidiore Pontificij, qui cœlo tonante, vt metum excutiant, præsidium ponunt in campanis. Nos sincerioris fidei sectatores, virique Euangelici, cœli minas contemnimus; etsi mundus exardescat haud timemus, cogitantes, nos nihil habere, de tanta mole perdendum.

Laudo profectò fortitudinem, animorumque constantiam, si ad cœli fragorem non expauescatis, &, vt inquit Seneca, ad inane nubilum trepideris, vt nostrum nonnulli, qui necdum mortem, & quæ ad eam ducunt, penitus contemnere didicerunt. Sed quid indè? culpandosnè illos statuitis, qui res inanimes diuinis verbis consecrant? culpate ipsum Apostolum Paulum, qui vnquamq; creaturam, etsi bonam, vult oratione & diuino verbo reddi sacratiorem. Sed intelligo, quid improbetis; virtutem quandam, & quidem supra naturam, à Nostris, per eiusmodi consecrationem, adscribi campanis aduersus fulmina. Verùm hoc ipsum quis improbare ausit; cum passim historiæ Ecclesiasticæ, & sanctorum monumenta Patrum referant; rebus consecratis ac benedictis, morbos plurimos curatos, dæmones fugatos, & à capitibus nostris, haud rarò iam impendentia mala esse depulsa.

Quomodo ergò fulmen, quæres, alios, nec paucos feriēdos transferit, & in hunc adolescentem in-

cide-

lib. 2. nat.
quest. 6.
52.

1. ad Ti-
morb. 4.

ciderit? Norunt respondere philosophi; fulmina ferire excelsos plerumque montes, & turres præaltas. Templum verò, in vico prænominato, cum constet cunctis, qui locum viderunt, constructum in loco editiore, neutiquam mirandum, ibi potius, quam alibi, fulmen sæuijisse.

Ergò certam ac infallibilem, ais, vim pellendi fulmen non habet ~~ars~~ campanum, etsi sacrum? Sic est. Virtutem enim, si quam ipsi tribuimus, non ex certo aliquo DEI pacto, sed precibus nostris habet, quæ ad cælum missæ, cum interdum non exaudiantur; nihil novi omninò, si subindè aliquis, ictus fulmine, expiret.

CAPVT XXIII.

Claudus perfanatur, & amplectitur fidem Catholicam.

CUm Gallia, Anglia, magnaque Germaniæ pars bellis arderent seculo nouissimè exacto, & Christiani (ô malum execrandum) in se mutuò sæuirent. Ne quid ad ipsorum calamitatem deesset, Turcarum Imperatori, nonnulli eius consiliarij, nos Bassas vocamus, arma omninò sumenda, & tanta in discordia nostrorum, rei benè gerendæ occasionem haud negligendam, suadent & persuadent. Inducijs itaq; turpiter violatis, Amu-

rates,

rates, anno M. D. XCII. exercitum cogit validissimum, & in Vngariæ fines mittit, bellumque Cæsari nostro indicit. Hic verò quid? certior factus belli publicè denunciati, mox ad defensionem se parat. Scribit etiam ad omnes Germaniæ Principes, denuncians præsentissima, cum Germaniæ, tum Vngariæ pericula. Germani aduertentes discrimina, militem & pecuniam colligunt, bellumque parant, verè iustum & sacrum, aduersus iuratum Christiani nominis hostem. Ad quod mox omnium fermè nationum & gentium homines, rem Christianam fortiter propugnaturi, accurrunt. In eorum numero esse voluit Ioannes Dilman, qui in Vngariam cum alijs profectus, in Imperatorijs Castris stipendia mereri cepit, & aliquamdiu istic boni militis functus est officio. Tandem belli pertæsus, quod plerumque inexpertis dulce, Germaniam iterum respicit, & solutus militari sacramento, anno M. DC. IV. redit in patriam, & in familiam piam iuxta ac illustrem, assumitur Illis & Generosi Domini Iacobi Comitibus à Schyvartzenberg, Domini in Hohenlantzperg. Cuius iussu, cum sequenti anno, subditorum lustrat arma; ab vno illorum, non satis peritè fistulam ferream exonerante, tangitur in femore, grauitèrque læditur, vt confestim, ad instar capitis humani, caro intumesceret.

Læto affixus, mæret ademptum sibi vsum pedis. Quadam nocte, dum hæret cogitabundus, quamnam possit ratione curari; in posterum enim, fulcris sub alaribus semper vti, & permolestum, & in-

indecorum nimis censebat; DEVS Diuaque copiam miraculorum suggerunt, quæ passim in templis Germaniæ, apud S. Crucem præsertim in Bauaria, & Dettelbachij in Franconia, patrata sint. Hæc dum diuinitus sibi iniecta reputat; obrepit somnus, oculos claudit suauiter, per quietem videre sibi videtur, cubiculum, in quo iacebat, miro splendore illustratum, Deiq; matrem filiolum brachijs complectentem, suo cubili assidere, quin & audire vocem, solamen & auxilium, benignè hoc ferè modo promittentem; DEVM roga, eiusque Parenti fide; ita enim futurum, vt valetudinem recuperes, pesque tuus sanescat. Euigilans, verba, & visa tacitus secum primùm perpendit; deindè alijs quoque patefacit; quo minus verò exequeretur consilium sibi datum, obstabat fides, in qua fuerat educatus, Lutherana, & pudor præterea humanus, duo non parua salutis impedimenta. Rei nihilominus futuræ iudicia potius, quam sopitæ mentis ludibria fuisse, ostendit subsequens postmodum euentus.

Nam cunctantem & quodammodò renitentem, DEVS, pro sua benignitate, institit vrgere modo etiam asperiori, morbum periculosum atque diuturnum immittens: adeò, vt nec medici, nec medicamenta vlla prodesse adhibita; & ipse annum medium, vel decumberet in lecto, vel si interdum motum corporis naturæ necessitas exposceret, fulcris vti cogeretur.

Tarditatem tandem, & procrastinationem suam, diuturni morbi non dubiam amplius causam,

detesta-

detestatus, certò secum constituit, parere consilio; à nemine, quam numine cœlesti, dato; cum voto dono Dettelbachium proficisci; sacris istic interesse Catholicis; quin & nuncium placitis Lutheri remittere, vt non minus animus, quam corpus curretur. Rectè sanè, rectè. *Multiplicatae sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt.* Rebus ergò omnib⁹ apud se religiosè conclusis; qd sibi deliberatum & cōstitutum sit, cū amico optimo, Iacobo Krubero, cōmunicat; meliusculè mōx habere incipit; atq̄ue abeunt morbi. Ipse Dettelbachium proficiscens, DEVM salutis suæ auctorem colit; eiusq̄ue Parenti, aliquot ceræ pondo, quibus testaretur animum gratum, offert ad aram sacram. At necdum hìc finis. Redit morbus anno, quo isthæc scribimus, M. DC. VII. quò diuina vis, Diuæq̄ue Virginis honor inclarescat magis. Votum emiserat se quotannis, quoad in Marckscheinfeld, aut locis illic propinquis subsisteret, die, qui Christo in cœlum eunti solennis est, Dettelbachium venturum, ac ceræ ibidem libram oblaturum. Istud, quandò præsentis anno intermitit, ratus legitimo se impedimento excusatum, ob nonnulla, quæ generosus Dominus negotia demandarat; pes denuò ità intumuit, vt chirurgi vulnustimerēt graue, nec curatu facile. Verùm, quamprimùm ille, neglecti voti veniam à DEO precatus, secum statuit, sine vlla mora, quod alioquin malitiosè neutiquam omissum, votum exequi, cessat tumor & dolor omnis. non tamen apud

Psalm. 15.

piam posteritatem cessabit tanti collati beneficij memoria.

CAPVT XXIV.

Puella , ob læsam Dorſi vertebram, ad inceſſum minimè apta, ſeſe erigit, & ambulare in Templo Mariano, incipit.

ANno M. DC. IV, in opidulo Hofhaim, Satrapiæ Rotenſtein, Margaretha Hagen, fortunæ tenuis fæmina, filiolum eiusdem nominis octennem, mittit extra ciuitatis portas, nè deſit in menſa potus, ad hauriendam aquam. Paret maternis præceptis, (pater in Vngaria miles erat) & cum hydria egrediens, incidit, magno ſuo malo, in pueros, pro ætate & ingenio, ludicra tractantes; à quorum vno, cæteris nequiore & petulantiore (Bernardus vocabatur) gleba indurata, ſeu, vt alij volunt, lapide ita icitur in dorſo, vt ex icu Miſella in terram corrueret, & rectà deinceps incedere non poſſet. Ad hæc quid mater? Accurrit, plorat, exclamat, ſe, cum prole ſic læſa, mortalium miſerrimam. Opem à Medicis petit. Sed fruſtrà: curationem ſibi Dei Mater reſeruabat. Sua-

ſu &

su & consilio aliorum Wireceburgum tandem venit, & damni accepti auctorem defert ad Magistratum. Iudicibus, quò facilius persuadeat, ipsam filiola miam curuam, & corpore debilitatam spectandam offert. In Senatu, causa ista quandò tractabatur, erāt cūm Iurisperiti, tūm viri quoque Nobiles non pauci, amantes iustitiæ & à prudentia commendati, qui nè quid statuerent, aut definirent præcipitanter (quod quavis in causa, sedulò cauendum) spes nè aliqua adsit curationis, percunctantur. Porro vbi, à Medicis & Chirurgis, intelligunt, in Medicinis aliquid vix opis ponendum, sententiam concordibus suffragijs, prius tamen Illustrissimi & Reuerendissimi Præsulis IVLLII calculo probatam, hanc pronunciant; vt læsæ centum floreni, quò facilius incommoda ferat ac toleret, à parentibus pueri qui læserat, numerentur. Audit, & abit mater admodum mæsta, quòd sobolem desperet vnquam ab infirmitate ista curandam. Eam tamen DEVS, Diuaque non deserunt.

Post sesquiannum; à sententia data de damno pecunia compensando, mater se per quietem videt in Sacello Dettelbacensi, vnà cum filia, morari. Expergefacta, miro gaudio se perfusam apprehendit. Quocirca Dettelbachium locum ante sibi ignotum quærit, & filiolam, ad incessum minimè aptam (pondus & onus grauefatis) per miliaria non pauca eodem apportat. Ad sacram vbi peruenit ædem, onere subleuata, Deiparam, genibus flexis innocat; monstret se Matrem, mæstamque ma-

trem in perſananda filia exhilaret, precatur; vt ſi non integram, ſaltem eam conſequatur valetudinem, quò fulcris ligneis nixa, citra aliorum opem, deinceps poſſit incedere. Pollicetur & decem florenos, tum in parochi, tum Sacelli uſus, ſi filia conſaneſcat, quam ad ſacram quoque aram admouet. Inter hæc, finitimis ex pagis plebs numeroſa, & Sacerdotes linteati, cum vexillis ſacrouè cantu (dies erant ſupplicationum antè Seruatoris noſtri in cœlum aſcenſum) adueniunt. Illa itaque, alijs factura locum, neutiquam à ſpe ſua, ſed à ſacra duntaxat ara non nihil recedit. Sacerdotum, qui venerant, duo ſacris operari incipiunt, & finiunt. Vnus item, è cathedra, verba facit ad populum; & vaſta licet, ac ſonora voce vtatur, dormit tamen puella & ronchos ducit. Mater eam excitat & obiurgat; at labore caſſo. Officijs demùm diuinis ritè decenterque perſolutis, cunctiſq; abeuntibus, etiam ſibi cum prole ſua, à ſacris illis parietibus, videt abeundum. Experimentum tamen ſumptura; num longæ & difficili peregrinationi ſuæ fructus aliquis reſpondeat; filiolum blandè rogat, melius culenè ſentiat. Ecce tibi; derepentè illa ſe erigit, ambulat, & gratulabunda matrem aſpicit. Reſpicit & hæc illam, ſtupetque ad rei nouitatem.

Ad Mariamnè accedere amplius trepidet humana fragilitas? Nihil auſterum in ea. Nihil terribile eſt. Tota ſuauiſ, offerens lac & lanam. Omnibus omnia facta eſt. Omnibus ſinum miſericordiæ

*D Bern.
ſermone
de verbis
Apocalip.*

aperit,

aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi.
Tristis consolationem; æger curationem.

Sed narratio recurrat ad prolem parentemque iam lætitia exultantes. Hæc beneficium cœleste agnoscens, cum sobole aram obit sacram, & quicquid habet nummorum (imensos datura thesauros, si habuisset) depromit, mittitque cum egena illa vidua in gazophylacium, iterumque in genua procumbit, DEO grates ac laudes, corde, ore, plausuque dicit; læta domum reuertitur, Mariam Seruatricem gratè pieque prædicans.

Luce 21.

A tam fausto matris, cum sobole sua, reditu, quid Incolæ, quid Accolæ? Gaudent. Quin & fæmina ad pecuniariam mulctam, ob culpam filij, nuper damnata; cum partem eius aliquam iam numerasset, quinque videlicet ac viginti florenos; reliquam sibi remitti ac condonari rogat obsecratque per DEVM immortalem; omnia enim modò esse salua, & puellam nullo etiam sumptu curatam.

Bono sis animo mulier, & Beneficij tanti, cuius aliud agens, filius occasionem præbuit, sis præco, sis testis.

Tu altera quoque fæmina, potentem DEI manum, eiusque parentis benignitatem experta, divulgala tère, quæ vidisti & accepisti beneficia. Vouisti, (quemadmodum tu ipsa refers) & corde, & ore, te non tantùm mensibus, verum etiam hebdomadibus singulis, stipem pauperibus aliquot, tuas iuxta facultates præbituram; quin etiam quotannis, dum viuas, vna cum filia, in Dettelbacensi Sacello, nisi

aduer-

aduersa valetudo sit impedimento, rei diuinæ ac pietati vacaturam: Fidem ne fallas datam, diligenter caue. Ad sis bonæ menti, ô DEI Mater; nec nos, nisi benedixeris, dimitte; plena es gratiarum, plena rore cœlesti.

CAPVT XXV.

Religiosus Franciscanæ familiæ perfanatur, cuius periculosè intumuerat venter, & induruerat, vt ingentes dolores sustineret.

Diaçesi hac nostra Wirceburgensi parumper migremus in Bambergensem, vt in ea quoque notemus DEI parentis beneficentiam in ægros collatam; & quidem in Collegij Germanici Alumnum. Pius & beneuolus Lector, facile spero, veniam mihi dabit, si quid pro meo singulari in illud charum & dulce quondam Domicilium affectu, strictim tamen, hinc de eo attigero.

Gregorius, XIII. Pontifex Maximus, & communis Pastor Ecclesiæ memoria dignus æterna, ad culmen Pontificiæ dignitatis euectus, nil antiquius, nil prius habuit, quam vt omnium curare posset salutem; ac eorum inprimis qui in Germa-

nia,

nia, ab Ecclesia Catholica eiusque Pastoribus facta discessione, miserè in errores prolapsi essent inextricabiles. Quocircà sumptibus maximis, in Vrbe, pro Germana Iuuentute, erexit Collegium, vnicè desiderans, vt in eodem scientia literarum, probisque moribus instructi quàm plurimi, in patriam remitterentur, non armis, sed literis & Religione dimicaturi aduersus impietatem. Haud diu post erectionem, cum ad illud, ex omnibus panè Germaniæ prouincijs, Iuuenum fieret concursus, locum etiam accepit in eodem Michaël Anisus, Saxo natione. qui breui, dum inibi, Sanctissimi Pontificis munificentia & liberalitate, vixit, eos fecit progressus, vt inter florentes annumeratus sit Colonias (bis illud quotannis, Vere nouo, & Autumno fieri solet) quæ in Germaniam, curandæ aliorum salutis causa, tunc mittebantur. Reuersus in patriam, vbi aduertit, mundi dolis & fraudibus facilè accidere posse, vt aliorum saluti inuigilans, suam periculo exponat; ob mille laqueos & pedicas Dæmonis; consilium capit datum à Numine, planèque constituit, & lubricum fallacemque mundum deserere, & Religiosum vitæ genus amplecti. Cum autem sibi, præ cæteris Religiosorum familijs, D. Francisci placeret, in eam admitti rogauit, sui que voti factus est compos. Probè interim memor, se altum in Collegio Urbis, & orbis nobilissimo, vt Germanos ciues suos, à fide aberrantes Catholica, ad saniorè mentem reduceret, & peccatorū cæno inhæretes ad meliorè vitæ frugem reuocaret; Concionandi munus à Su-

perioribus delatum suscipit lubens Bambergæ, & obit cum laude fructuque multorum. Excipit etiam poenitentium confessiones, magna animorum sanandorum cupidine; nihilque omittit, quod Medici officium spiritualis requirat. Vtinam virtutem huius, iuandique alios ardorem, Collegij Germanici Alumni vniuersi æmulentur.

Inter hæc autem periculoso ille morbo corripitur, intumescit venter eius & indurescit, sustinetque acres dolores. Vocatur & dimittitur Medicus, nihil proficiens. In Numine itaque fiduciam ponit, minimè licet refugiens mortem, si Diuinæ ita visum sit voluntati. Confugit etiam ad D. Virginem, quam sibi patronam in periculis, & in omni vitæ cursu delegerat, orans & voto adiecto supplicans: si saluti expediat animæ suæ, & aliorum commodis, vt ad pristinam redeat valetudinem; se doni accepti immemorem fore nunquam, quinimò in sacro Dettelbacensi Sacello beneficentiæ istius fore præconem. DEVS & Diua audiunt preces, votisque annuunt. valetudinem ille recipit, & mox consueta quoque munia & officia pietatis, ob ægritudinem aliquamdiu intermissa, resumit. Sanus iam & incolumis, venit Dettelbachium, rem diuinam peragit; & valetudinem sibi à DEO eiusque Parente redditam, sequenti carmine, Anno M. D. XCVI. Wirceburgi impresso, testificatur.

Quas

Vas tibi Virgo Parens grates, quas debeo laudes,
 Vnica post summum spes mea Virgo DEVM?
 Aeger, & extremo vita quasi sine laborans,
 Visus eram medica non reparandus ope.

Sic ego: Dissolui cupio, non esse superstes;
 Nil minus arbitrio cedat utrumque DEI.
 Susceptisque piam votis implorare MARIAM,
 Hac spondens gratam mentis in Aede preces.
 Ecce tumens illa mollescit venter ab hora,
 Qui, distenta velut tympana, durus erat.
 Vitales redeunt succi, stomachumq; renatum
 Quarta videt tandem Luna tenere cibos.
 Debitor ergo, sacri mysteria magna tremendi
 Hoc peragens, solui ter celebrata, loco.
 Qui dolor Hareticis; haud nomine Virginis huius
 Desinit Omnipotens edere mira DEVS.
 Diua tuo Mater qua munere vita retenta
 Est mihi, decurrat munere pura tuo.
 Meq; tuos inter minimum Patrona clientes,
 Cor te namque meum diligit, esse velis.

CAPVT XXVI.

Claudicatio in virgine curatur.

N Vrum plerumque telum, liberis necdum
 adultis, immatura morte si parentes eripi-
 untur. Siquidem recta educatione non raro

destituuntur: aut inopia pressi, patria excedunt, exteris famulaturi. Isthæc incommoda incurrit misella, Bambergæ oriunda, Anna Kôrberin. Pater eius cùm desiniret esse inter viuos, opificio lapidicida; ipsa annos nata tredecim, subsidia, quæ in solo patrio haud reperiebat, alibi quæsitura, Francofurdum proficiscitur, & in suburbio (Sachsenhusium appellari solet) Alutario seruit, vilia munia obeundo, quò victum & velamen acquirat, nec tectum desit, brutis quoque animantibus charum, & necessarium. Probæ autem sedulæque famulæ dum fungitur officio, septimo anno, die, qui D. Iohanni Baptistæ sacer est, & læritiæ consecratus, corripitur morbo, vt manè è lecto surgere volens, factura consueta seruitiæ, ambulare nequeat, aut pedibus insistere; tibijs rigescentibus, & retrorsum contortis. O miseram & calamitosam. Paupertas res est permolesta, ait Chrysostronus: norunt, quicumque experti sunt. quantum suppliciū, si valetudo accedat aduersa? horum vnumquodque per se intolerabile & acerbum est; simul conglomerata, an non fuerit adamas quispiam, qui hæc perferat? Misella tamen hæc perfert. Vt ingressum erigatur, varia tentantur; frustra omnis conatus. Venit quorundam auxilio & ope ad thermas Wisbadenses, & ijs sesquimense vititur, sed nec hilum proficit. Sensim increuit malum, & loco se mouens genibus nixæ, vellapidum acumine, aut viarum asperitate læderentur illa, centonibus communiebat.

Anno M. D. XCIV. Francofurdo Bambergam

depor-

*Conc. 1. de
Lazaro.*

deportatur, ad publicum Nosocomium, Animarum vulgò appellatum; vbi tres & non amplius morata hebdomadas, in aliud deindè pauperum domicilium migrat, melior vbi & largior miserorum alimonia, ac ibidem, valetudine nequaquam meliori, hæret sesquiannū, medicinis nihil proficientibus. Tandem Senatus Bambergensis commiseratione & benignitate (eam Numen compenset) recipitur ad hospitale ciuicum, cui à D. Catharina nomen, victumque capit gratis, quem prius sana, apud exteros, duro assiduoque labore sibi comparabat.

Inter hæc, graui subindè afficitur tædio, animoque angitur, quòd sana & vegeta corpore reliquo, vsu pedum destituatur, totosque dies sedere cogatur, & veluti inclusa cochlea, domi hæreret. Sola re te, Misella, viro illo, qui triginta & octo annos decumbens, cum morbo conflictabatur. Desperata Medicorum arte, & humano auxilio, opem & subsidium, à cælo & genio suo edocta, supplex petit à Numine; vt meritis D. Virginis & Matris, in cuius patrocinio spem suam collocasset omnem post DEVM, pedibus insistere & ambulare possit. Concipit & edit votum; si precibus cœleste Numen aspiret, se ad sacram & augustam Aedem Dettelbacensem peregrinationem suscepturam, & in eadem beneficentiam sibi collatam deprædicaturam. Votum placuisse, mox visum ostendit, in somno, puellæ obiectum; species scilicet humana ipsi per quietem ostensa, grauius monens: è lecto sur-

IOANN. 5.

gat, & ad aram sacram D. Virginis, cubiculis ipsis in Hospitali proximam, pergat, supplicans, vt à diuturno & permolesto pedum vitio liberetur: & valetudini restituta, ne utiquam omittat votiuam peregrinationem. Negligit tamen ipsa (salutis & valetudinis prioris etsi percupida) monita & consilia à cœlo demissa; æstimans somnij ludibria.

Demum anno M. DC. V, die quinto à Dominica, quæ ludica appellari solet, recurrit eadem species humana, claudam grauius quàm prius monens; sequatur consilium iam sæpius datum; venisse tempus valetudinis recuperandæ; impetratum Deiparæ precibus, ac meritis, quæ Dettelbachij in cultu est & veneratione. A somno excitata, rê cordi habet, & monitis parendum esse, secum constituit. quocirca amiculo corpori iniecto, venit ad aram genibus nixa, suo pro more, & ternas horas ante eam dat precibus, serio calidè que iam DEVM, iam Diuam inuocans, à claudicatione diuturna (durarat annos nouendecim) vt liberetur. Et ecce liberatur. Sentiscit enim laxationes & rigorem minui in pedibus. Experimentum sumptura valetudinis speratæ, aræ gradibus primò innititur, mox pedibus insistit, rectà ambulat, amiculi que vix genua attingentis notat breuitatem. longiorem antè non poscebat corporis constitutio. O Miraculum. eo, quis non excitetur? quis non dicat? *Saliet sicut cervus claudus.* Nescia, præ gaudio, quid dicat; ad cotubernaales festinè properat; quantum DEVS Diuaque contulerint beneficium, re ipsa magis quàm ore declarans.

Isaia 35.

Rei

Rei nouitate illi perculsi, DEO ipsiusque Parenti gratias & laudes dicunt immortales. Voti rea, citra moram Dettelbachium pergit. eò ubi peruentum, imitatura claudum ab utero, perfanatum à D. Petro, Apostolorum Principe, templum ingreditur, exiliens & laudans DEVM. A reditu, in hanc vsque diem sana manet ac vegeta.

Affer. 3.

Mali huius, simul & remedij, si quis testes requirat, dabimus, nec alios, quàm eos, qui Virginem (vulgò *Rniemägdlein*) diuinitus curatam, sedulo examinarunt, & rem, vti gesta, in tabulas referri curarunt. Qui illi? Vitus Kraus Pharmacopola & Senator Bambergens. Georgius Neidecker. Iacobus Neidecker Prouincialis Iudicii Bambergæ Assessor. D. Fridericus Förnerus, notæ doctrinæ & pbitatis vir. Pænè exciderat Leonhardus Winheimerus, vir consularis, qui sibi ducens religioni, hoc tam illustre Miraculum à se diutius celari, enixè & studiosè contendit, vt emitteretur in lucem, & in vulgus spargeretur, ad sempiternam D. Virginis Dettelbacensis memoriam. Sileat calumnia.

Veritas triumphet &
plaudat.



CAPVT XXVI.

Paralyticus priorem valetudinem recipit.

Nter eximios & illustres honoris titulos, qui DE I Matri dari solent, haud postremus est, quod in precibus, quas ad eam Christiani fundunt, Vita nominetur. Et vita sanè est; vitæ namque auctorem nobis peperit, ægrisque valetudinem restitui, ac vitam integrari, sua deprecatione impetrat. Istud esse verissimum, sequens miraculum luculentissimè ostendet, non pridem, nec procul, sed quasi in huius vrbis conspectu patratum.

Pagus Wirtzburgo vicinus est, nomine Rusbrun, & milliarum modico abiunctus. In eo, Georgium Guilhelmu morbus inuadit, qui temporis successu vires acquirens ac inualescens, membrorum usum illi adimit. Lecto itaque non rarò decumbit. Morbi vehemètia ac magnitudo faciunt, vt nec ipse quiescat, nec alios capere quietem sinat. Et cum spes nulla affulget in medicis, sperat morbi leuamentum, quin curationem integram à DEO; quem eapropter rogat supplex, vt per Matrem, quam populi frequentia & concursus, in Sacello Dettelbacensi, celebrat, priorem sibi valetudinem

redde-

reddere dignetur. Vouet; se isthuc iturum, si conualefcat; & Benefactoribus fore gratissimum. Mirum; à voto, precibusque DEO factis, nouum vigorem membra acquirunt. Primùm ambulare incipit, & fulcris inniti ligneis, veteremque valetudinem & vires pristinas recipere. Demum ita valet, vt vegetus ac firmus, anno M. DC. VI. proxima Dominica post D. Virginis natalem, ad sacram & augustam Ædem ipsemet venerit, & in ara DEI matris, fulcrum ligneum beneficij diuini monumentum obtulerit, certissimumque valetudinis recuperatæ argumentum.

CAPVT XXVII.

Deiparæ meritis quorundam necessitatibus, cùm animi, tum fortunæ succurritur.

Rat constitutum apud me, narrationi Beneficiorum hîc imponere coronidem; sed noua communicata ab amicis (vtinam deinceps idem faciant plures) impetrarunt, vt facile sententiam mutarem, & in illis strictim recensendis, nouam implerem pagellam; etsi non annorum, quibus acciderunt, ordine accuratè habito.

Quidam adolescens, huc ad scholas missus, cum animaduerneret ingenij sui tarditatem, & labilis memoriæ morbum, ut non, qua cæteri felicitate & facilitate, progredetur in cæpto literarum curriculo; prudenter secum constituit, aliundè præsidium petere. Ut naturæ itaque difficultatem superaret, vouet peregrinationem ad ædem Dettelbacensem, spondetque, si votis ac precibus suis annuat Virgo & Mater DEI, se certas eius in honorem quotidie preces persoliturum: quas auditas, & probatas etiam, inde constitit; quod Adolescens deinceps, cum in studijs humanioribus, tum in Philosophicis primas non rarò tulerit; & quos prius superiores habuerat, postea suis inferiores viribus condiscipulos cognouerit, etsi Minerua his magis fauere videretur. Theologus factus, sacris ordinibus initiatus est. Sit (quia adhuc superstes) Benefactrici suæ gratus, ac Rupertum Tuitiensem imitetur; qui cum similem in se ingenij experiretur difficultatem, & ad sacras literas perdiscendas tarditatem, auxilio DEI Matris, hoc nomine salutatae & rogatae, ea scientia fuit illustratus, ut parem ætas in Germania non tulerit; quin viuis mortuusque nobilis à miraculis extiterit. Nec ingratum fuisse aduersus beneficam Matrem deprehendet, quisquis monumenta eius literaria, commentaria præsertim in Cantica, & opus de diuinis officijs aspexerit.

Iacob, 5.

At è Lutheri schola aliquem audio allatrantem nos, & stentorea voce clamantem: *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à DEO, qui dat omnibus af-*

fluen-

fluenter. Teneamus Loquaculum, ac sciscitemur
 Cùm antehac Lutherus, D. Iacobi epistolam, quæ
 ad stomachum non faceret suum, è sacro scripturæ
 Canone expunxerit, cur discipulorum aliquis indè
 tanquam ex diuinis literis, tela aduersus Catho-
 licos petere audeat. Nequaquam tamen feriunt:
 dum enim sapientiam, dum docile ingenium à DEI
 Parente rogamus; non aliter ad matrem clamamus,
 quàm vt filius quoque audiat; & si nos ob culpas
 admissas auerfetur, Matrem saltem audire digne-
 tur. Taceat ergò Aduersarius, nouumque audiat D.
 Virginis Dettelbacensis Beneficium.

Superioribus mensibus Anni M. D. C. VII. huc
 venit studiorum causa adolescens indolis bonæ;
 qui, cùm adiumenta literaria, quæ prius sperarat, non
 reperiret; ad eas angustias redactus est, vt vel nunci-
 um (quod iudicabat durum ac difficile nimis) stu-
 dijs remittere, vel subito hinc discedere, alibi quæsi-
 turus Mæcenatem & præsidia literaria, cogitarit.
 In hisce angustijs & perplexitate constitutus, inau-
 dit DEI Matris Dettelbacensis in pauperes calami-
 tososque beneficentiam & opem; quam vt sibi quo-
 que impetret, ne studiorum deserere cogatur curri-
 culum, Dettelbachium proficiscitur; atque animi
 quâ potest submissione auxilium ab eadem rogans,
 mox impetrat. Nam altera die à reditu, Nobilis
 cuiusdam adolescentis cura & institutio, cum sti-
 pendio & honesta sustentatione, ipsi offertur. Sal-
 ue Mater misericordiæ, quæ miseros opisq; indi-
 gentes, materno affectu complecteris.

Non minus beneficam se ostendit DEI Pa-
rens erga adolescentem alium, ne à religionis cur-
riculo, quod inchoare æstuanti animo cupiebat,
diutiùs abstraheretur. Didicerat ille, literis huma-
nioribus dans operam, mundum istum, locum ef-
se maximè lubricum, & præcipitem, & vix fieri pos-
se, quin interdum homo grauitè impingat. Quo-
circa illum deserere cogitabat, Numine suadente,
genioque bono præeunte; difficultatibus haud cu-
ratis, quæ stadium eiusmodi ingredientibus occur-
runt. Cæterùm febris distinebatur, tempore instan-
te, quo abeundum erat ad locum, vbi, vno altero-
ue anno, nouitij exerceri & probari solent; sintne
imbecilli & inertes, an naui & generosi: magis eos
difficultas & necessitas aliqua corporis, quàm pie-
tas & diuini obsequij cupido ad religiosum vitæ
genus impulerit. Animo itaque angebatur, se
timens relictum iri ob morbum, condiscipulis
suis, eiusdem propositi & animi, abeuntibus, & ad
crucis vexillum properantibus. Ne quod vereba-
tur, fieret; rogat benignissimam hominum patro-
nam D. Virginem; concipit & votum eundi Det-
telbachium, ibidemque ipsam salutandi. Hæc, illa
ipsa nocte, qua salutata voto fuit, (ô Beneficam
Matrem) suppleuit vicem Medici, & ex morbo
tædioso fecit medicinam. Conualuit enim mox
luuenis, & religionem cum alijs alacer lætusque,
Anno IV. post M. DC. mense Septembri, est
ingressus. Testem huius, pluresque facti peristases si
requiras; lege quod sequitur ipsiusmet curati Ado-

Iscen

lescentis, hac de re, carmen, gratique animi argumentum.

TEmpora mille, vago, numerans Sol, sena q̄, quartam
 Iam fermè circum voluerat axe rotam.
 Aridus, aestiuam referebat in horrea messem,
 Felici partas sine Colonus opes.
 Et calor, & modicis uti male suenta Iuventus,
 Atque omnibitur quod sine lege merum.
 Et male qui tacita queruntur ab arte fauores,
 Et qui, non stabili fœdere, necit Amor.
 Omnia si numeres, qua florida postulat atas,
 Grande p̄s animis omnia virus habent.
 Illa meos pariter penetrauit pestis ad artus:
 Dum nil, quod libuit, non licuisse volo.
 Scilicet abruptis furiosa Licentia frænis,
 Tam præcep̄s Iuveni sola regebat iter.
 Quis modus absque modo laxatus esset habenis,
 Vitanti metam, qua sua meta foret?
 Est aliquid placuisse DEO; medicamina præbet,
 Siue malis bona sint, seu mala iuncta bonis.
 Nam subito validis successit languida membris
 Febris, & in toto corpore fusa tremit.
 Tædia succedunt latis immitia rebus,
 Deprimitur lento corpus inane malo.
 Desit Apollineâ spondens medicamen ab arte,
 Quiq̄ suo morbum leniat alloquio.
 Sol redit interea defessis sæpè caballis,
 Et longum miseris, fertque, refertque diem.
 Hei mihi tunc quoties, abeunt solatia, dixi;
 Dum nullus misero spondet Amicus opem?

Hei

Hei, quoties mæsto iactaui pectore voces,
 Morbiferam lacrymâ percutiente genam?
 Sola mihi superes Virgo Castissima, cui me
 iam dederam, casta virginitate, Puer.
 Hanc mihi, quam multis voto deuincta tulisti,
 (Entibi iam voueo) nam potes, affer opem.
 Talia spiranti, gelidos sopor induit artus,
 Traxerat his longam, febris acerba diem.
 Iam fermè medium decurrerat axis Olympi,
 Lunaque nocturnos alta regebat equos.
 Ecce; per obscuram video procedere noctem,
 Quæ procedebat, Virgo vocata fuit.
 Obstupui, tenuique sonum, stetit illa modesto
 Lecticam iuxta, ter veneranda, gradu.
 Dein dextra immissa putren: de corpore massam
 (Materies morbi quæ fuit) inde tulit.
 Et mihi, damna vides, inquit: parit ista voluptas,
 Illa malum est animis, corporibusq; fuge.
 Finierat monitis, admirantemq; reliquit,
 Donec dimissis Phæbus adesset equis.
 Tunc sopor, & languor pariter de corpore cessit,
 Cæpit & esse vigor, qui fuit ante tremor.
 Nescia mens veri, repetebat imagine formam,
 Quæque simul fuerant Numina visa sibi.
 Ergo lata canit laudes, præconia, grates,
 Quod redijt misero, te referente, salus.
 Virgo decus superùm, cæli clarissima Phæbe,
 Qui tuus est, omni tempore crescat Honor.
 Illa quidem tragico fuerant dictanda coturno;
 Sed, melius nostropectore fixa manent.

Vbi nunc estis, qui à pietate & religione nostra & maiorum alieni, Mariam negatis inuocandam; eiusque preces statuitis (temerè nimis) pluris haud faciendas, quàm alterius, infima quantumuis ex plebe hominis. Audit & exaudit DEVS Parentem suam; quin diuinæ Maiestatis & potestatis sociã, quatenus licuit, sibi adsciuit. Ad eius preces & vota, tot & tam cõspicua fiunt miracula, vt si fallamur, meritissimò nõ in alios, quàm illos ipsos, qui ea patrarunt, qui que fallere nolunt, nec possunt; erroris nostri causam reijcere possimus.

Vtinam, qui clausos ad fidei lumen habent oculos, & longius aberrant à salutis tramite, per eiusmodi opera & signa, supra fidem, supra vim humanam, ad veterem Religionem, priscos ritus, & societatem Ecclesiæ, extra quam nulla salutis est æternæ spes, quasi manu ducantur. Sin verò votis nostris ardentissimis neuiquam fiat satis, (malum DEVS auertat) superuacuanè tam eximia Beneficia, & eorundem narratio? Nequaquam. Egri vberem modò hauserunt fructum; fidei præterea Catholicæ inde dogmata pulcherrimè confirmata ac stabilita sunt. Vti quondam Regem Pharaonem prodigiosis signis & miraculis DEVS reprimebat, sæuientem nimis in populum Israëlitieum, & hunc vicissim erigebat, ne laborum onere & copia pressus, abiret à vero Numinis cultu: sic tempore nostro, quando ad priscam deprimendam fidem, omnis impietas & malitia vires exerit; ex aduerso DEVS, suam per Matrem Cœlitesque edit signa, & Miracu-

la, vt

la, vt si ex ipsis nec Pharao, nec Ægyptij proficiant, & velint in densissimis potius volitari tenebris, quàm iucundissima frui veritatis luce, nihilominus æternum mancant in Ecclesia de veritate Catholicæ fidei certissima monumenta, & contra expugnatam impietatem erectæ columnæ, & gloriosa trophæa.

Hic autem, caue putes; paucos esse, qui miraculis cedere & moueri nolint. Sunt, qui ea cauillantur, & anilium fabularum loco habent. Primas in hac arte sibi sumit Thomsonus Scotus, qui nuper non modò in Iustum Lipsium, virum clarissimum & literatissimum, sed & in Sacerdotes, nulla status ac dignitatis habita ratione, petulanter inuectus est: in Diuos Diuorumque imagines furiosè incensus; in Religionem nostram denique sacrilegas blasphemias euomit. Vt lector agnoscat, pessimæ fidei & linguæ hominem, audiat, horreat, & tremat, quàm contemptim de sacrosancto Eucharistiæ Mysterio, quo diuinius celsiusque nil habet orbis vniuersus, loquatur. Furfuream buccellam; incantatum sacrificuli murmuribus popanum, crustulumque execrabile appellat. Longa est diuini

Numinis patientia. Quid noui, si talis miraculis obstrepat, si illa rideat? Ridet, quæ nec ipse, nec sui vnquam facere potuerunt.



Prima Miraculorum Ca- uillatio.



Ontificij antehac non rarò, lucri & commodi causa, ementita Miracula pro veris ac indubitatis populo venderunt: erunt itaque farinae eiusdem, quotquot in posterum ab illis dabuntur in lucem. Qui sic? Iuris verbum est: qui semel malus, semper praesumitur malus. Sic Thomsonus, simul affirmat, Connubium nos tollere, foedumq; permittere stuprum: iteratas nuptias, honesta fornicationis loco habere: quin viduam vni viro nubentem, nil aliud quam prostibulum nobis esse. O somnia! ô fabulas! probè norunt omnes, eximijs non modò encomijs nos celebrare, sed etiam in Sacramentorum numero reponere Connubium; omnibus legitimè contrahentibus, & secundas & tertias lubenter nuptias permittere, imò non rarò etiam suadere.

Porro vt hominem labore subleuemus, quem nequicquam ponit in citandis auctoribus naris eminentioris, quibus iam dudum Catholicorum Miracula aut suspecta, aut falsa omnino visa, (vnus est Bodinus acutissimus & candidissimus censor, & Religionem Caluini nunquam amplexus) damus vltro in illis subinde fraudem admissam, sed ideò ne omnia similia erunt, quæ à nostris, cura & fide bona, sunt consignata literis, & diligentissimè à Præ-

*Thomson.
in libello
contra Li-
psium.*

sulibus & Antistibus Ecclesiarum discussa & exami-
 nata prius, quàm in lucem emitterentur? Si Thom-
 sonus, qui se Scotum profitetur, & libello suo offen-
 dit alumnum Caluini, alios fallat, & à meta aber-
 ret veritatis; omnesne Scoti, omnesne eiusdem di-
 sciplinae fideique discipuli, eiusdem notae erunt,
 nullaque illis etiam in contractibus humanis insti-
 tuendis, & amicitijs contrahendis fides adhibenda?
 absit, absit, vel hoc ipsum suspicari. Scotia, & An-
 glia, quae mihi in amore & cultu sunt, ob DD. Ki-
 lianum, ac Burchardum, Praesules & progenitores
 nostros, primosque fidei Christianae in hac Dioece-
 si factores & propagatores, habent villo absque dubio
 viros complures veritatis & aequitatis amantes,
 quibus affirmantibus, aut negantibus rem quampi-
 am, non minus quàm Germanis ciuibusque nostris
 fidem tribuimus. Hispanus & Gallus, potentissimi
 Reges, & praeae puraque fidei fulera, foedus & ami-
 citiam colunt cum Angliae & Scotiae Rege; nefasque
 ducunt, vt opinamur, quicquam de illius fide &
 constantia dubitare, etsi sexcenties & amplius fallat
 Thomsonus. Quid? mihi de Scotis ausim polliceri,
 aliquando fore, & quidem breui, vt qui inter Eu-
 ropaeos olim primi ferme Christiana sacra & praee-
 pta acceptarunt, primi quoque sint, qui spreto Se-
 ctariorum placitis, ad veterem Religionem ac pie-
 tatem reuertantur, colantque Romanam Apo-
 stolicam Sedem, cuius ante Lutheri ortum & Cal-
 uini, annis mille quadringentis fuerunt obseruan-
 tissimi. Annuat votis, qui in finem suam non con-

tinet

tinet iram DEVS TER OPT: sint deprecatores, fortissimi Christi Athletæ, Bonifacius & Kiliannus. Verùm ad alteram miraculorum cauillationem progrediamur.

Altera Miraculorum Cauillationio.

Numen miracula patraret ad Mariæ, aliorumque Diuorum statuas aut imaginulas: Sunt trunci; sunt idola. Imagines qui colunt, ipsos dæmones colunt, qui sub nominibus mortuorum delitescentes, auctori- bus Lactantio & Tertulliano, viuentibus plagas tendunt. Tenebras sectantur Aduersarij, cum imaginibus Sanctorum negant cultum, & hoc ipsum probant è Tertulliani & Lactantij scriptis, pridem grauissimis in fide erroribus notatis. Siquidem Doctores habent, sanctosque Patres, qui formandas & colendas esse, scriptis luculentissimis ostendunt; imò omnem omnino consentientem vetustatem.

Sed nitimur in vetitum.

Malè, quod de Idolorum habet imaginibus Tertul- lianus, in nostras adaptari, vel inde fit manifestum; quòd picturas calicum, & crucis Christi agnoscat suo tempore vsitatas.

Librum de pudicitia quisquis legerit, inuentu- rum polliceor formam ac speciem, in calice effigia- tam, Seruatoris nostri, cum oue iniecta in hume-

De passio
ne Domi
ni.

ros; & quod amplius, eiusdem è cruce pendentis imaginem, in carmine apud Lactantium, sic compellantem accedentes ad Ecclesiam:

*Siste parum, in fontem q̄ tuo pro crimine passum
Respice me, me corde, animo, me in pectore serua.
Ille ego, qui casus hominum miseratus acerbos,
Huc veni.*

Veniant Aduersarij, & nobiscum haud prophanas, sed sacras in Tertulliano repertas imagines venerentur. Noxam aut labem non est quod vereantur ullam. Vt serpens olim æneus in sublimi positus, miserisque & afflictis opem conferens, Hebræorum genti in cultu & honore erat, eandem prorsus ob causam nobis Christi I E S V effigies.

Literas nouerint, nî cerebrum forsan è sicco subere conflatum habeant, dum res sacras referunt, sacras appellari; Euangelium nempe, dulcissimumque I E S V nomen. Cùm hæc autem detecto capite, & accensis luminibus, quandoque in meridie venerationis ergò, & proferamus, & proferri audiamus: simili ratione, Christi ac Diuorum imagines cur non censeremus cultu dignas?

Honorem, quem nos Imaginibus concedimus, in D E V M suosque Sanctos referri, quis non videt? *Quemadmodum olim Iacob, inquit Leontius Episcopus Neapoleos Cypri, accipiens à filijs suis vestem sanguine conspersam ipsius Ioseph, cum lachrymis eam osculatus est, suisq̄ oculis circumposuit, non ipsam diligendo vestem, aut honorando hoc fecit, sed per eam arbitratus*

D. Hiero.
nym: in
Vigilanti-
um.

Vide A8.
4. 2. sy-
nodi Nice-
næ.

est

est se Iosephum osculari, & in manibus tenere: sic & Christiani omnes Imaginem Christi, aut Apostoli, aut Martyris tenentes, nostramq; carne osculantes, animo videmur nobis ipsum Christum, aut Martyrem complecti.

At displicet similitudo; dixeris. Agedū, inquit Leontius, tu qui arbitraris nullum manufactum aut planè effigiatum esse adorandum; nunquid sepè vxoris aut filiorum mortuorum vestem aut ornamentum in vestiario videns, illud osculatus es, & lacrymis rigasti? neq; tamen in hoc damnatus es; non enim vt DEVM vestes adorasti, sed ipsum amorē, erga eum, qui his amiciebatur, tuum per oscula declarasti. Coniugem etiam fortassis impiam, affectionibus turbulentam quotidie salutans, non reprehenderis, et sine quaquam tibi diuino ore vxoris salutatio precepta sit. Nos cum vides Christi, aut inculpate Matris, aut alterius Iusti imaginem salutantes, confestim indignaris, blasphemias fundis, resilis, & idololatrias nos vocas. Mirum te extra verecundiam, neque horrere, neq; tremere, neq; erubescere.

Verè magna est Iudaorum (Leontius si auo nostro vixisset, Sectariorum dixisset) cecitas, magna impietas, in veritatem iniury sunt: ingrata eorum lingua, in DEVM conuitia dicunt. A sanctorum Martyrum reliquijs, & imaginibus saepe Demones fugantur; hac tamen scelesti illi contumelijs afficiunt, peruertunt, illudunt & subsannant. Quot inumbrationes, quot scaturigines, saepe etiam & sanguinis fluores ex Imaginibus & Reliquijs Martyrum extiterunt? ÷ tamen corde insensati, ridentes non credunt, verum fabulas ista & nugas esse arbitrantur.

Pudore suffundantur ; qui proprios Reges & alienos adorantes, nos tanquam Idololatrias derident. Nos omnibus in ciuitatibus & regionibus, in dies & in horas singulas contra Idola stamus armati, contra Idola psallimus, contra Idola & preces fundimus, & qua tandem fronte nos (Sectarij) vocant Idololatrias : Vbi nunc sunt, qua olim ab ipsis oblatae sunt Idolis, bouum, ouium, & filiorum quoque victima? Vbi sacrificiorum fumi? vbi ara & profusiones sanguinum? Nos propemodum, quid sit ara, quid victima, ignoramus.

*Zonar: in
vita Mi-
chaëlis
Baibi.*

Thomsone satin? Desine, rogo desine, Diuorum spernere imagines, truncos & idola, cum ipse potius Truncus sis, appellare. Meliore consilio ductus, imitare Sabbatium Constantinum Leonis Armenij Iconomachi filium; cui cum linguæ deesset vsus, accedenti ad D. Gregorij Nazianzeni imaginem diuinitus restitutus fuit. Lumine tu non oculorum, sed mentis destitutus es; nec vides ad salutem viam. Venerare, si non Diuorum, quod piaculum putas, Christi minimùm effigiem, tui vt oculi, ad videndum fidei Catholicæ lumen, aperiantur. At maioris Iudæos, Samaritanos, Mahumetanos ceterosque sectari Iconomachos, (ô tenebras) quàm pietissimorum virorum sequi vestigia, qui imagines piè coluerunt, & earundem vsus, aduersus Iconoclastas egregiè propugnarunt.

Tui te facti, nî maturè respicias, aliquando poenitebit. Senties olim, tacuisse, longè fuisse satius, quàm aduersus Diuorum simulacra linguam habuisse mordacem. Quando calamum vertis in ima-

gines,

gines, petis ipsos Sanctos, quos illæ referunt. Nónne iniuria afficit regem, qui regiam vestem violat? non nouisti, quod is, qui iniuria afficit imperatoriam imaginem, in Imperatorem ipsam, veluti exemplar imaginis, eiusque dignitatem iniurius est? nescis, quòd quicumque ex ligno & coloribus imagini conuicia dicit, illum non damnari, veluti in rem inanimatam, sed contra regem ipsum dixerit? iudicatur enim occultè regi iniuriam intulisse.

Dic Thomfone, hæc te non vellicant? non stimulant? non excitant ad saniora consilia? vis plura? Luxit aliquando D. Chrysostrmus, Præsul sanctissimus, & ad luctum scelerisque commissi detestationem, vt auditores permoueret suos, in magna frequentia hominum sic exorsus est: *Quid dicam, aut quid loquar? lacrymarum præsens tempus, non verborum, luctuum, non sermonum; deprecationis, non conuersionis. Tanta patrum magnitudo, tam immedicabile vulnus, tam vasta plaga, & omni medicamine maior, & superni indigens auxilij. Qui sic? Lusus est, qui non habet parem vllum super terram. Quis ille? Theodosius Imperator, cuius, quem ad modum & defunctæ coniugis Placillæ imaginem, seu eam statuam Antiocheni subuerterant.*

Vos Catholica religionis hostes, Diuorum imagines impiè conspuistis, & concremastis. Vos IESU CHRISTI Crucifixi statuas, more Christianorum consueto erectas, abstulistis, patibuloque suffixistis; templa & sacrationa loca demoliti estis. Tu Thomfone Christi Regis regum, tu Sanctorum cri-

Homil. 2.
ad popu-
lū Antio-
chenum.

mina-

minatus es imagines; oreque impio hanc euomisti blasphemiam; Imagines qui colunt, dæmones ipsos colere. Tempus est luctus & lacrymarum. Læstisti caput omnium, quique non habet parem super terram. Ad supremum Regem confuge, illum in auxilium voca. Nisi supremum assequaris gratiam, nulla commissorum reparatio relinquitur. Votis ego, tui causa, iram numinis placare non desistam, ut culpæ admissæ condonet pœnam, teque ad fidem adducat, quam in secunda Synodo Nicæna, sub hac verborum formula, palàm professus est Euthymi⁹ sanctissimus Sardenſium Episcopus:

Ego antè lectis Beatissimi Papæ veteris Romæ literis, sincerè & irrepugnabiliter inhæreo, consentio, & confiteor de orthodoxa fide, de quibus sanctis videlicet & venerandis imaginibus, non veluti hoc sit nouum aliquod dogma, aut nuperum inuentum recipiens, sed clarè cognoscens ex Apostolica traditione, sanctorumque Doctorem in Ecclesia iussu per manus nobis traditum: ob eam causam venerandas imagines, ex toto corde, cum debito honore & saluatoria adoratione suscipio. Eos verò, qui seculi sentiunt, aut reclamant, contrariæque docent, alienos à Catholica Ecclesia arbitror, renuncio, hereticos proclamo.

Dictum satis de imaginum cultu. Cæterùm apud illas, cum & olim & iam, mira quædam patrari experiamur, duo vocari possunt in dubium. Alterum: Virtusne ipsis insit cuius causa à nobis coli debeant. Non ita censendum; siquidem res sunt corporeæ, neutiq̃ aptæ, ad recipiendam vim supra naturam.

Quo-

Quocirca si quæ apud Diuorum statuas miracula accidant, vni DEO adscribenda; qui nihilominus ipsorum imagines, aut quid aliud, (quò illos honore dignetur) non rarò adhiberi vult in patrandis miraculis; vt si omittantur, omnis conatus sit irritus. Imperabat quondam Moyfi, vt, manu extensa, vndas virga sua percuteret; quin & terræ puluerem. Vtrumque præstitit: mox aquæ in sanguinem versa; mox è terra tot cyniphes profusi, vt veluti extensa nubes, totam Ægyptum obumbrarent. Absque virga; ferrum, aliudue instrumentum et si adhibitum fuisset; nec sanguinis guttam elicuisset ex aquis; nec animalculum è terra Moyses.

Abeat Aduersarius, nobisque imponere designat; è Diuorum Imaginibus nos Deos formare, tribuereq;, nescio quam, vim & virtutem, non sine Diuinæ Maiestatis iniuria manifesta. Agnoscimus auctorem Miraculorum DEVM esse: Imagines verò Diuorum, instrumenta duntaxat; quæ ad effecta qua ratione concurrant, prolixè cum Philosophi, tum Theologi disputare solent.

Dubium & controuersum alterum est, sintne signa Religionis veræ, quæ passim, in Ecclesia, fieri notamus miracula apud Diuorum Imagines, seu eorundem Reliquias sacrosanctas. Haud desunt, qui negent, infirmo hoc moti argumento; quòd opera prodigiosa & admiranda, Imagines quoque prophanas, & homines Ethnicos olim patrasse legamus. Simulacrum Iunonis Monetæ à militibus curiose, & quodam modo per iocum, interrogatum;

*Val. Max:
lib: 1. c.
ultimo.*

*August. li:
10. de ci-
uitate Dei
c. 16.*

*Tacitus
lib. 4.*

*lib. 10. ci-
uit. Dei c.
16.*

an Romam migrare vellet; velle se respondit. Fortunæ muliebris effigies, sic affata est Romanas matronas, à quibus prius fuerat initiata: Rite me vidistis; riteque dedicastis. Arbor Ulmus, auctore Philostrato, Apollonium voce humana salutauit. An non isthæc admiranda in Imaginibus? & quæ sequuntur nunc, in hominibus? hæret nauis in Tiberi, nec loco mouetur viribus vllis boum, aut hominum. Claudia Vestalis discingit se, Zonamque nauis alligans, quò vult, deducit. Tutia Vestalis quoque, aquam Tiberi haustam cribro, fert ad Capitolium vsque. Cotem Tarquinius secat nouacula. Epidaurius serpens Æsculapio nauiganti Romam, comes adhæret. Ex plebe Alexandrina, oculorum tabe notus, remedium cæcitatatis exposcens gemitu, Vespasianum precatur, vt genas, & oculorum orbem aspergere dignetur oris excremento. Alius manu æger, orat calcari pede & vestigio Cæsaris, qui cuncta fortunæ suæ patere ratus, mox precibus annuit, & facit, quæ petebantur. Et ecce manus ad vsum conuersa; ac cæco dies illuxit. Mira, mira. Ad hæc quid D. Augustinus? Neutiquam eiusmodi opera conferenda cum illis, quæ leguntur in populo DEI facta. Est ità omnino. Pleraque enim curata fallaci dæmonum astutia, vt inde sibi honorem & cultum conciliarent diuinum, aut, veritate euersa, falsitatem hominibus persuaderent. Norunt, quibus pollent viribus naturæ, efficere admiranda, vt etiam fidē excedere videantur humanā. Norunt oculis mortalium, cum vasti sint deceptores, illu-

dere,

dere, sine non alio, quàm vt noceant, decipiant, & in errores inducant. Et quí non possint; cùm non raro Circumforaneos & Circulatores nobis imponere videamus, qui panem vorant, mox eius loco farinam, seu quid aliud spuunt. Bibunt vinum, idemque per iugulum remittunt. Vorant gladios, & acus cuomunt.

Tartarei ergò spiritus efficiunt, vt res inanimatae ambulent. Bestia, arbores, statuae voces edant humanas. Navis progrediatur prius nullis viribus mobilis. Aqua per cribum non effluat. Et quis vires & fraudes Dæmonis omnes recenscat?

Sed quí fieri potuit, vt Vespasianus Cæsar, cæco restitueret visum, cùm à seculo non sit auditum, oculos cæci nati apertos? Tacitus, sanationem hanc cœlesti favori, & Numinis inclinationi in Vespasianum adscribit. Negauerim ego; cæcum penitus fuisse à Cæsare curatum, ipsius Taciti testimonio: medici enim de morbo interrogati, responderunt; non exesa esse vim luminis, sed redituram, si obstantia pellantur. Quid ergò mirum, à Vespasiano morbum curabilem naturæ viribus, opera dæmonis depulsum, seu veriùs, arte Apollonij Tyanæi, magorum omnium celeberrimi, & ipsi Vespasiano coniunctissimi? Addamus quoque ex Tertulliano; vero simile esse, dæmonem oculo infedissee, vsuque illius impediuisse, vt videretur sanare, cùm desineret nocere.

Cæterùm, si quis, & Mariana Miracula eleuare velit, & calumniari, quasi folius Dæmonis præstigi-

Ioann. 9.

In Apologet: ca. 22.

is procurata: huic opponimus; simulacra quidem nonnulla voces humanas vsurpasse, sed prophana fuisse; Marianas autem effigies seu statuas, sacras esse, & religiosas: in illis dæmones sibi fixisse domicilium; apud has, vt cederent, haud rarò compulsos. Præterea in Ecclesia constanter propugnatum fuisse, & creditum semper, Ethnicorum miracula à Dæmone, Mariana à DEO facta. Quid? si verum, quod noua fingit impietas: errauit Ecclesia, columna veritatis; errarunt Doctores sanctique Patres; libri, tabulæ, marmora falsa sunt, quæ vsq; huc Mariana nobis Beneficia commendarunt; & quod horrent excipere aures piæ, dæmon ipse Christo Seruatore nostro benignior & clementior extitit: ægri enim & calamitosi DEI Parentis opem rogarunt; audiuit dæmon & iuuit, periculis amoliendis, morbis persanandis: obsurduit ad preces Christus. O execrandam blasphemiam. Quò nos ducis noua impietas? Vt Christo dæmonem æquemus, aut, quod impium magis, anteponamus? Apage sis! Credimus piè, palamque profitemur, non dæmonis arte, sed D. Virginis, magnæ & admirandæ, precibus, innumera tum corporis, tum animi Beneficia, à Numine impetrata, ac impetranda.

Verùm necdum ad illud responsum, de quo initio dubitabatur; veræ doctrinæ, fideique signa & notæ, sintne Miracula.

Signa esse, neutiquam dubitandum, cùm Seruator, doctrinæ suæ confirmandæ gratia, Apostolis contulerit potestatem patranda Miracula, qua illi

vsi, totum pænè orbem ad sacra Christiana adduxerunt. Signa tamen certa, & penitus indubitata esse, haud affirmamus. Balaam enim vates, vera prædixit, vera fide destitutus. Nec dubium, eiusdem notæ futuros non paucos, qui sua miracula, & inde se quoque commendantes, ipso decretorio die dicturi sunt Christo; *Nōne in nomine tuo prophet auimus, & in nomine tuo demonia eiecimus?*

Num. 24.

Matth. 7.

Insurges; hac ratione, pro Doctrina Christianæ veritate adstruenda, sumi non posse argumentum. Damus; indubitatum: pernegamus autem probabile, & quodammodo certum. Etsi enim haud rectè concludatur; cum, qui miraculum edit, veram habere fidem: rectissimè tamen; eam, in qua crebrò frequenterque Miracula fiunt, veram esse Ecclesiam, & aliam in qua nulla, indignam eo nomine, etsi in ea personet veritatis pollicitatio, quæ solùm promittitur, non autem exhibetur. Hoc probè intelligens Ecclesiæ Doctor, D. Augustinus, constantissimè omnia respuebat Sectariorum conuenticula; nullisque ratiunculis se ab Ecclesia Catholica auelli sinebat; *In qua, inquit, me tenet populorum ac gentium consensus: Sacerdotum item successio; ab ipsa sede Petri Apostoli ad presentem Episcopatum; Auctoritas denique Miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, veritate firmata.*

Contra e.
pissolam
Manichæi
c. 4.



Tertia Miraculorum Cavillatio.



Ioan. 9.

D. Hieronymus contra Vigilantium.

Sermone de SS. Inuentio & Maximo.

Ita semel functi, ab operibus cessant, D. Ioannistelesimonio: *Venit nox, quando nemo potest operari.* Hominum item ministerio DEVS, dum in terris sunt, utitur, secus naturæ debitum quando soluerunt. Conficta sunt ergò Diuis ascripta miracula. Ita Thomsonus. Quid noui audimus, cœlites otuari & totos dies stertere, omnemque de salutis nostræ procuracione abiicisse cogitationem? Quod olim D. Hieronymus Vigilantio, hoc ipsum tibi Thomsons obijcimus: DEO leges ponis? Tu Apostolis vincula iniicis, vt esse ad diem iudicij cogantur in custodia? Cum dæmones toto orbe vagentur, quare Martyres, post sanguinis effusionem, tenebuntur inclusi? Audi Thomsons D. Chrysostomum de Diuis scribentem, quid agant in cœlis.

Sicut milites vulnera, in prælijs sibi inflicta, Regi monstrantes, fidenter loquuntur: sic sancti absicta capita gestantes, & in medium afferentes, quæcunque voluerint, apud Regem cœlorum impetrare possunt. Audi iterum, quid extra cœlos operentur. Mortalibus apparent, eorumque animis, nunc gaudium, nunc ægris corporibus adferunt sanitatem.

Regi-

Regina inter Cœlites, Gregorio Thaumaturgo
 ea forma & specie sese exhibuit, vt eam vix oculo-
 rum ferret obtutus. Apparuit item Ioanni Dama-
 sceno, manumque, Leonis Isaurici crudeli manda-
 to, impiè præcisam, rogata restituit. Et in Iudæi v-
 nius filium benefica fuit, quem iniecum à patre in
 ardentem fornacem à flamma integrum ac illæ-
 sum seruauit. Nec putandum DE I Parentem dun-
 taxat mortalium curare necessitates, reliquos verò
 Sanctos illas penitus præterire. Non sic est; non be-
 neficiorum effectibus solis, verum etiam ipsis ho-
 minum aspectibus Confessorem apparuisse Feli-
 cem; neque illud incertis rumoribus, sed certiste-
 stibus haberi, ait D. Augustinus. Sed fortiùs prema-
 mus hostem.

Boni interdum ad nos descendunt Genij, sa-
 nant ægros, aliaque edunt opera admiranda. Ist-
 hæc cur non præstarent Sancti? Ad hæc Thomso-
 nus. Si à cœlis DEVS ministros mittit Angelos, sed
 non ad sanationum ministeria. Fabulosam Rapha-
 ëlis curationem spernimus, & ad scenam iure rele-
 gamus. Sed quò noster, dic Thomsonè? olim licet
 Tobiaë liber, in Iudæorum Canone non repertus, à
 nonnullis extra Canonicarum scripturarum cata-
 logum fuerit positus: omnis tamen controuersia,
 Ecclesiæ iudicio iam dirèpta; & à quouis Orthodo-
 xæ fidei alumno pro sacræ scripturæ libro habèn-
 dus. Fac etiam expungendum sacrarum scriptura-
 rum catalogo, ideòne Angeli è cœlis DE I imperio
 missi ad nos, ægris manum salutarem adferre ne-

Gregorius
 Nissenus
 in eius vi-
 ta.

Ioan: Hie-
 rosolymit.
 in eius vi-
 ta.

Niceph.
 lib. 17, ca.
 25.

lib. de cu-
 ra pro
 mortuis
 cap. 16.
 Tob: 11.

Tridentin.
 Concil. 4.
 sessione.

que-

Actor: 12.

queunt? ille qui Apostolorum Principem à vinculis, à carcere, è custodia militum exemit, eundem si inuenisset ægrum, eadem facilitate an non sanare potuisset?

Genij maligni si subinde morbos inferunt mortalium corporibus; num boni, quibus corporum nostrorum salus & valetudo conceditur, eam negligent? illine ad malum nobis inferendum, quam hi ad bonum procurandum erunt attentiores? Istorum in nos studium & propensissima voluntas, naturæ etiam nostræ conditio, & imprimis Diuina clementia, ac bonitas, summaque erga genus humanum liberalitas, id vel cogitare vetant. Itaque boni Angeli; & Sancti felicitate iam perfruentes cœlesti, rebus humanis intersunt, mira & stupenda opera edunt, sanationumque ministeria exercent, illa licet Thomasono rumpantur.

Cæterùm noctem denunciat venturam, cum nemo prorsus operari possit.

Seros enarrat noctua cantus.

Præsentem vitam fatemur stadium esse, in quo nos summus ille Agonotheta exercet, & vult currere alacriter, fortiterque contendere pro cœlesti brauiio consequendo. Exacta semel vita lumineque clauso; promerendi gloriam, & felicitatem æternam duraturam, nulla amplius concedetur facultas: nox enim superuenit, & vltima linea rerum. Thomasono si necdum factum satis, qui noctem amat, umbras quærit, vt nostra obumbret miracu-

la; do-

la; dolendum quidem, nullam ipsum lucem aspice-
re, nullisque miraculis permoueri: non tamen mi-
randum; cum qui semel errarint, Germano Epis-
copo Constantinopolitano auctore, eos in viam re-
ducere perdifficile sit, vtpote qui à veritate alie-
nantur.

*Epist. ad
Thomiam
Episcop.
Claudio-
politam.*

Quarta Miraculorum Ca- uillatio.

Vbi apex Scripturæ; alios præter diuini
verbi ministros edidisse, aut edituros
miracula? *Ecce dedi vobis*, inquit Ser-
uator, *potestatem calcandi supra serpentes.*

*Lucæ 10.
cap.*

Quibus? Discipulis, quos binos prædicatum misit.
Quid indè? Deipara, cæteri que, quibus operandi
miracula ascribitur donum, non sunt verbi diuini
ministri. Sic Thomsonus.

Noua nouorum. Risum, quæso, teneatis ami-
ci. Ossa enim Elisei Prophetæ, Apostolorum um-
bras & sudaria, quæ olim, aut iam vitâ functis, aut
ob ægritudinem decumbentibus, incolumitatem
attulerunt, vitam quæ restituerunt, verbi diuini fu-
isse ministros, vmbrales Prædicantes, osseos Su-
perintendentes, dicendum foret.

*4 Reg:
13. cap.
Actor: 5.
et 19. cap.*

Historia è sacris literis nota est; Samsonem, ex-
imix virum fortitudinis, quondam mille viros stra-
uisse, non ense, non ferro, sed asini maxilla: Thom-
sonum nos, non osse asini, sed vel tenuissima um-

Jud. 15.

brâ sternamus. Ægris corporibus vmbra Apostoli
sanitas collata; quid nî idem præstet Mariana effigi-
es, aut statua, vmbra longè superior?

Dicturum odoramur; ossa, sudaria, & vmbra,
quendam ad verbi diuini Prædicatores habuisse re-
spectum. Sed effigies, de qua nunc sermo, ô Thom-
sone, illam respicit, quæ non tam præco, quàm ge-
nitrix Christi extitit. Si DEVS verbi sui præcones
tanto honore dignatus est, vt per eos tanquam in-
strumenta sua efficeret miracula, parè mne hono-
rem Matri suæ negabit, quam omnibus cœlitibus
habet chariorem. Nequaquam fecit, aut faciet. Au-
di & mirare. Urbis & orbis Præsul D. Gregorius, sæ-
uissima pestilentia videns populum Romanum af-
fligi, DEI Matris imaginem efferri & præferri iussit
religiosæ supplicationi institutæ ipsa die, qua Serua-
tor se rediuuium cum discipulis, tum Matri suæ ex-
hibuit. Pietas ista sic placuit DEO, vt eam eximio
mox miraculo comprobaret: etenim quacunq; fe-
rebatur imago, pestilentis cœli grauitas pellebatur,
& optata aëris succedebat salubritas. quin & Ange-
lus, fausta acclamatione, Virginem & Matrem DEI
salutabat, ei que suauissimè accinebat:

Regina cœli, letare, Alleluia.

Quia quem meruisti portare, Alleluia.

Resurrexit, sicut dixit, Alleluia.

Subiunxit D. Gregorius, diuino afflatus spiritu,
Ora pro nobis DEVM, Alleluia. Rectè omnino; id
enim dum facit, se Reginam, se Matrem misericor-

diæ,

Baron. to-
mo 8. an-
nal.

diæ, Dulcedinem, Spem, & Aduocatam nostram ostendit,

Ad hæc quid Thomæ: vt discas non solum verbi DEI Ministros, verum & alios, quin eorum reliquias edere miracula, auctarij loco cape historias sequentes. Auctor est D. Ambrosi⁹, Præsul Mediolanensis; quendam Ianium, nomine Seuerum, captum oculis, ad contactum pheretri Sanctorum Protasij & Geruasij, sanatum. Refert & D. Basilius; reliquijs D. Iulittæ in quendam locum religiosè illatis, vbi extrema aquæ penuria laborabatur, è terra illicò, velut è perenni fonte, vbertim aquam effluxisse, vt Diua illa quasi Mater & nutrix quædam communis haberetur, quæ vniuersam illam regionem lacte aleret. D. Clara, Virgo genere vitæq; sanctitate nobilis; Saracenis Assisium obsidione cingentibus, & Monasterio ibidem cui præerat inhiantibus, se ad portam, agrâ deferri iussit, vasculumque vnà, in quo augustissimum Eucharistiæ Sacramentum asseruabatur. Fuis hunc in modum precibus ad DEVM: Ne tradas, Domine, bestijs animas confitentes tibi; tuasque famulas custodi pretioso tuo sanguine redemptas: mox Barbari inde vel celeri fuga discesserunt, vel oculis capti præcipites ceciderunt. Ist hæc quis effecit? D. Claræ à miraculis clara: edunt ergò miracula & foeminae, etsi Præcones non sint Diuini verbi. Sin autem totius causa operis prodigiosi sacrosanctæ adscribatur Eucharistiæ; è Sacrario templi in publicum allatæ; profectò mirandum, tantam habere vim ac virtutem furfure-

*Oratione
de SS. Ger-
uasio, &
Protasio.*

*Orat: in
Iulittæ.*

*Auctor vi-
te, &
Chron.
Francis.*

am buccellam, (vt impiè vocat Thomfonus) popanum sacrificuli murmuribus incantatum, cruftulumque execrabile.

*Niceph.
lib. 15. ca-
pit. 3.*

S. Euphemia, ob sanctimoniam, in vita nobilis, post vitā, ob miracula, haud fuit ignobilior. Eius ex corpore vbertim profluxit humor, vt ad illud religionis cauffa accedētes Imperatores, Episcopi, & populus, affatim eo perfruerentur, miroq; odore, qui omnes longè superabat odores arte humana comparatos. Et quod valdè admirandum; eiusmodi accidebant creberrimè, loci Antistite pio & religioso; rariùs, improbo & scelesto. Thomfonus facilius annuet, geminos fuisse Predicantes Geruasium & Protasium, quàm fateatur, præter verbi Ministros, etiam alios Miraculorum esse posse effectores.

At à DD. Iulitta, Clara, Euphemia, qua se ratione expediet? fœminis, quibus à postolus silentium ferriò in Ecclesia imperauit, iusne prædicandi verbum DEI, contra DEI verbum concedet? Haud faciet, vt euitet casses sibi positos. Auctores reiiciet omnes, è quibus Miracula desumpta sunt iam commemorata, eam ob cauffam, quòd suum ad stomachum non faciant, doctrinæque quam defendit mordicùs, aduersentur. Tuli quondam ego responsum simile à Philippo Heilbrunnero, Lutherano ministro. is, cùm in quadam disputatione de sacra communionem premeretur Patrum auctoritate, aiebat, se illos admittere, Augustanæ Confessioni modò non repugnent: si contrarij sint, explodere ad vnum omnes. O insaniam, ad hoc se recipere

perfu-

per fugium! Vt vel vnum tueamur Miraculum & quidem primo loco positum, cæteris omiſſis; quod olim D. Ambrosius (laudando tutores suos Geruasium & Protasium) Arrianis obiecit, id ipsum tibi nos Thomſone: *Negant cæcum illuminatum, sed ille non negat se sanatum. Ille dicit, video, qui non videbam. Ille dicit: Cæcus esse desit, & probat factò. Notus homo est, publicis cum valeret mancipatus obsequiis, Seuerus nomine, Ianus ministerio. Deposuerat officium post q̄ incidat impedimentum. Vocat ad testimoniũ homines, quorum ante sustentabatur obsequiis. Eos iudices suæ visitationis accersit, quos habebat testes & arbitros cæcitat̄is. Clamat, quia vt contigit fimbriam de veste Martyrum, qua sacra reliquia vestiuntur, redditum sibi lumen sit. Legimus in Euangelio, Iudeos, cum viderent in illo cæco sanitatis remedium, requisisse parentum testimonium. Interrogabant, quomodo videt filius vester? Cum ille diceret, Cæcus cum essem, modò video. Hoc & iste dicit. Cæcus fui, & modò video. Interrogate alios, si mihi non creditis, interrogate extraneos, ne ad stipulari mihi parentes putetis. Detestabilior istorum quàm Iudeorum pertinacia; illi cum dubitarent, vel parentes interrogabant. Isti palàm negant auctori increduli. Plurane vis Thomſone? Ecce Achillem, à quo consultò abstinui. DEI Mater Seruatorem concepit & peperit Virgo. O Miracula! ô prodigia! natura iura mutantur in homine. DEVS nascitur, Virgo sine viro grauidatur, viri nesciam sermo DEI maritat: Virgo habens filium, nesciens virum; semper clausa, sed non infœcunda. Virgo concepit, sola vulneri nostro medicinam parere potuit.*

IOANN. 9.

D. Aug.
Serm. 9.
in Domini
natali.

serm. 19:

Videte Miraculum matris Dominice. Virgo parturit, Virgo post partum permansit. Gloriosa Virginis, & preclara fecunditas. Virtus mundi nascitur, & nullus gemitus parturientis sentitur. Vacuatur uterus, infans excipitur, nec tamen virginitas violatur. Videte Miraculum, quod non verbi Diuini prece, sed foemina fecit.

Quinta Miraculorum Cavillatio.



Am dudum cessasse Miracula, aiunt Adversarij, DD. Chrysofomi, & Augustini testimonio. ille, spiritus donationes desisse scribit, hic Miracula; ne anima visibilia semper quareret, eorumque consuetudine frigeret genus humanum, quorum nouitate flagrauit. At enim inde Miracula neutiquam tolli, lectori erit luce clarius si ad verba, quae Praesul & Doctor Augustinus subiungit, attenderit: *Verum est, inquit, non permissa in nostra tempora durare Miracula. Non enim nunc vsque, cum manus imponitur baptizatis, sic accipiunt Spiritum sanctum, ut loquantur linguis omnium gentium; aut nunc vsque ad umbram transeuntium praedicatorum Christi sanantur infirmi: & si quae talia facta sunt, quae postea cessasse manifestum est. Sed non sic accipiendum est, quod dixi, ut nunc in Christi nomine fieri Miracula nulla credantur. Nam ego ipse, quando istum ipsum librum scripsi, iam noueram & alia nonnulla, qualia tam multa etiam istis temporibus fiunt, ut nec om-*

lib de ve.
ra relig.
cap. 25.

nia

nia cognoscere, nec ea quæ cognoscimus, enumerare possumus. D. Chrysoſtomus (alter is est SS. Patrum, quem suas in partes trahere nituntur Aduersarij) scribat licet; Spiritus donationes iam pridem desisse: non ideo Miraculorum fontem exaruisse putandum. Perennibus scaturit Miraculis, si eius, haud aliter, quàm D. Augustini verba intelligamus. Sic quæ nec aliter accipienda, vel inde manifestum est; quòd apud sepulchra, & monumenta Martyrum (inter multos sit Babila) dæmones impuros fugari, homines item improbos & scelestos corrigi & emendari, trophæis trophæa coniungi, magnis maiora, & mirabilib⁹ mirabilia, pulcherrimè & prolixè admodum, libro aduersus gentiles ostendat; vt impudentissimus sit, ea qui negare auit.

Desinant Aduersarij, in defensionem purioris suæ fidei; SS. Patrum, vt auctoritate. Ad hos enim filis & controuersia deferatur, confectum est proclium, & prostratæ ipsorum copiolæ. Volumina illorum tenemus integra, haud adulterata, quæ Miracula, quæ Religionem Catholicam Romanam clarè & copiosè docent, omnesque alias ipsi contrarias sententias & opiniones dānant; tuas quoq; Thomæ, virulentas blasphemias iactatas in summum orbis Christiani Pontificem; quas affirmo, ita atroces, vt nec atrociores, vel ipse infernalis dæmon, exrens omnes ingenij maligni vires, excogitare potuisset. Quem Christi Vicarium. D. Bernardus; Principem Sacerdotum, Valentinianus; Caput Ecclesiæ, Concilium Chalcedonense; Pastorem

Serm. 4.
in 2. Theſ
ſal. c. 2.

lib. 2. de
considerat.
Epist. ad
Theodos.
Epist. ad
Leonem.

ouilis

*Epist: Si.
ad Siriciū
Papam.*

ouilis Dominici Ambrosius: (ô præclaros eximiosq; honoris titulos) eundem, blasphemum os vastæ belluæ, scortum Romanum, Cerberum, Babilonicam & purpuratam meretricem, tu terræ filius, nominare ausus es. Et ne quid maledicentiæ deesset tuæ; criminatus es & Episcopos, Sacerdotes, Monachos, & Iesuitas, eosque appellasti mulos, porcos, vulpeculas, seculi & religionis retrimenta, regum insidias, orbis odium, orci amorem, carneque personata dæmonia.

*1. ad Ti.
motb. 1. c.*

Profectò rem præclare egisti, Hymenæum & Alexandrum imitatus, ab Apostolo, ob blasphemiam, dæmoni traditos. Angliæ Sacerdotes & Monachi, cùm è medio ferme omnes sublatis sint securi, laqueis, corporum sectionibus, aliisque infinitis propemodum, & antehac inauditis cruciatibus; nostros modò, quos ferro & ense lædere nequis, ducis minimùm lingua serpentina petendos. Clementissimus DEVS, viri isthic Catholicis, robur & constantiam; tibi verò sanio-rem mentem, melioremque religionem largiatur. Vtinam non obdurueris ad saniora monita.



Sexta Miraculorum Ca- uillatio.



Iunt nonnulli; facem Euangelij accen-
sam, totiꝛue iam mundo illuxisse; nul-
lam ꝑinde subesse caussam, cur aut fieri,
aut à quocunꝛue peti debeant Miracula.

Arbusta, D. Gregorio teste, plantari, eisꝛue tamdiu
infundi aquam, quousꝛue in terra coaluerint; fixis
semel radicibus, cessare irrigationem omnem.

*Hom. 29.
in Euan.*

Omnino sic est. Diuini uerbi semina feliciter
iacta ab Apostolis, ab eorum successoribus diligen-
tissimè culta sunt. Fax quoque Euangelij accensa
in Africa, Asia, & Europa. Sed enim quamdiu lu-
xit? suborientibus & grassantibus hæresibus, an
non in plerisque foede extincta fuit, ut non pauci,
densissimæ tenebris immerfi, inanes & fugaces um-
bras nunc conspiciuntur. Non abeamus longius; in
hac ipsa Germania, tot de præcipuis fidei Christia-
næ capitibus discrepantes sunt opiniones & senten-
tiæ, ut miserum & imperitum vulgus, quid tandem
credendum, ignoret. Euenire videmus, ut in iisdem
sæpè tectis, quot capita, tot pænè sint disciplinæ, do-
mesticiꝛue inter se contendant, suam quisque alijs
præferre conantes.

Quis ergò neget, Miracula utiliter à DEO da-
ri, & quodammodo esse necessaria, ut fides nostra,
miserè depressa, caput denuò erigat? hæresum

monstra nuper nata (quanto Germaniæ, quanto Galliæ malo) excendantur, & prisca fides ac pietas hominum animis inferantur. Neutiquam impinget quicumque statuerit, non minùs iam, quàm in nascentis Ecclesiæ initio, commoda esse Miracula; siquidem multorum annorum docuerit experientia, Sectarios longè difficiliùs ad Ecclesiam reduci, quàm Ethnicis fidem Christianam persuaderi.

Vir verè Apostolicus, D. Kilianus, destructurus execrandum dæmonum cultum, & trophæum gloriosissimæ Crucis erecturus in Franconia nostra ista Orientali; venit ad Urbem Wirceburgensem, & exiguo tempore, eiectis idolis abominandis, Christiana erexit vexilla, innumerosque sacro fonte ablutos, Christo filios peperit.

B. Franciscus Xauerus, Societatis Iesu decus; natus ad vltimi Orientis salutem, quot in India, quot in Iaponia, aliisque Barbarorum regionibus mortales ad Religionem & disciplinam Christianam traduxit? quot Dynastis ac Regibus persuasit, vt suauissimum Christi iugum subirent? interdum cum linguam ignoraret quibuscum agebat; signis tamen & nutibus, duxit quò voluit. quot suis ipse manibus sacra vnda abluit, non dicam hominum millia, sed myriades multas? Aditum ipse Euangelio in India aperuit, arte & fraude dæmonum priùs septum, & vallatum. Fluctus maris habuit aduersarios magis, ne in Indiam veniret, quàm Incolas ipsos vt Christi crederent Euangelio. Hæc omnia autem quantò temporis spatio peracta putas? si

dixe-

dixero annis vndecim, vix Tu credes. Quis in redu-
cendis & conuertendis Sectarijs istam facilitatem &
promptitudinẽ sibi polliceri ausit? annis multis,
multis è Cathedris, non ab vno alteroue, sed pænè
infinite Diuini verbi Præconibus, Catholica fides
fuit proposita: ad eãdem confirmandam librorum
quoque myriades conscriptæ, quibus hæreses ac er-
rores luculentissimè confutati: tamen nequicquid
sudatum fuit & laboratum. Seculis aliquot, nec qui-
dem vnus Arrianæ hæresis radices pænitus excisæ
sunt. Itane contumax est hæresis aduersus sanam
doctrinam? aduersus salutaria monita? Audi, & mi-
rare; longè difficilius Sectarios reduci ad Ecclesiæ
gremium, quàm ipsis Ethnicis Christiana sacra per-
suaderi. Causam si inquiras: respondebit Philoso-
phus haud ineptè; hausisse illos opiniones falsas pri-
us amouendas, quàm fides semel negata, restituatur.
expulsis tenebris, tum demum succedere lucem:
profligatis morbis, valetudinem bonam sperari in
corpore humano: secus verò esse in Ethnicis. Theo-
logus incusabit Sectariorum ingratitude, vt po-
te qui fidei lumine illustrati, & ad Ecclesiæ gremi-
um admissi, tam subitò, tam turpiter descuerint.

Quocirca Miracula fiunt, vt per hæc, si non
Diuini verbi prædicatione, Aduersarij nostri, ab er-
roribus noxijs, ad salutarem fidem ducantur. Sed
audio obmurmurantem: Generatio mala & adul-
tera signum quærit. Nihil efficis hoc telo, quisquis
es, vt Miraculorum vtilitatem euertas. Siquidem
signa petere non omnibus vetitum. Voluit DEVS,

Matth. e.
12.

*Isaie 7.**Iudicū 6.*

vt ea peteret Rex Achaz; cumque omitteret, iram
 cœlestis Numinis incurrit. Gedeon, vir inuictæ for-
 titudinis, exploraturus, suâne manu populū Israë-
 liticam esset in libertatem asserturus, rogauit vel-
 lus, rore cœlitus misso, humectari, terra interim
 manente arida; ac vicissim, vellere sicco, terram
 madefieri. Vtrumque consecutus est, nec requirendo
 signum, vllam incurrit culpam. At cur acriter
 arguit Christus Phariseos, quando sibi signa mitti
 à cœlo petebant? Nota causa; quia id citra necessi-
 tatem faciebant. Viderant multa ipsum in terris pa-
 trasse Miracula, quibus tamen minimè contenti,
 etiam à cœlo dari rogabant; quo nomine meraban-
 tur, vt grauer eos culparet, vt pote de cuius diuina
 virtute dubitarent. Nos per fidem edocti de infini-
 ta Christi potentia, Miracula non exigimus vt cre-
 damus; sed, fidentur, affirmamus, per illa fidem
 confirmari Catholicam; quin ab eadem aberran-
 tes inuitari, & adduci ad Ecclesiæ gremium. Vtinam
 multi, & absque mora. O adsis pio voto, DEI Be-
 nigna Mater.

Septima Miraculorum Ca- uillatio.



Nonnulli, vt honoris Diuini vindices ha-
 beantur, negant; aliqua DEI parentis, sed
 omnia Christi nomine fieri Miracula.

Sile-

Sileat Hypocrysis. Damus; Christi nomine identidem Miracula fieri. Huc nos quasi manu ducunt Euangelia, & Apostolorum actus. Si verò & interdum Diuorum fiant nomine, per hoc nil prorsus detractum puta DEI honori, cuius beneficio singula fiunt, nec sine eo etiam minimum. Nemo nisi insanæ mentis dixerit, summi in bello Ducis diminutum honorem, nominisq̄ue existimationem, si eius militibus fortibus & generosis, vr̄bis, aut castris expugnatio, vel hostium cædes adscribatur; nam quæcunque præclare gesta, Ducis auspicijs gesta dicentur.

At quid causæ est, cur DEVS, qui Miracula & beneficia, citra aliorum ministeria, conferre potest; plerumque tamen Diuorum, maximè verò Matris suæ nomine, largiatur? Præpotens DEVS, per hæc Diuis honorem defert, quos petulantissimè tractari, & innumeris onerari blasphemijs videt: vt hoc vel solum nomine, vehementer Numinis sit admiranda patientia. Quo enim loco apud Aduersarios est ter sancta Maria? Virgòne? vix, & ægrè perpetua. Viro quidem despõsata; immunis & libera tamen ab omni voto de coelibatu seruando: sancta; sed non perfectâ: beata; non nostro, sed aduersariorum modo, hoc est, fide solum, non operibus, aut meritis: ancilla; vilis interim, obscura, & contempta: ab Angelo magnificè salutarata; sed à nullo deinceps inuocanda. Quid Apostoli, quid Euangelistæ? Paulus, vas con fractum: Ioannes, iuuenis stolidulus: Petrus, DEI abnegator: Matthæus, fœnerator. Quid

*Canisius in
lib: de B.
Maria.*

Chrysoſt:
ſermone de
S. Iuuen.
tio. & Ma.
ximo.

cæteri Sancti ? homines mortui, monſtra, laruæ. Sed ecce, quando per contemptum, ab impia nouitate, & nouâ impietate homines ipſi mortui appellantur, mortuos ad vitam illi reuocant. Dum monſtris monſtra fiunt, imperant monſtroſis Spiritibus, eoſque obnitentes etiam & reluctantes, loco cedere cogunt. Denique corpora eorum, dum impiè conſpuuntur, aut in profluentem, quaſi humo & tellure indigna, proijciuntur, ſignis & prodigijs ſic ea illuſtrat DEVS, vt totum impleant orbem Miraculis. Idcirco, nos ſæpius ea inuiſamus: tumulos adoremus: contingamus magna fide eorum reliquias, vt inde benedictionem aliquam aſſequamur.

Octaua Miraculorum Ca- uillatio.



Bijciunt præterea aliqui. DEVS cum ubique ſit, nullisque terminis ac limitibus circumſcribatur, vanam futilemque eſſe iactantiam, & merum figmentum, potiùs in Mariano domicilio Dettelbacenſi, quàm alibi Miracula edi. Ad hanc calumniam D. Auguſtinus: *Quis poteſt eius (DEI) conſilium perſcrutari, quare in alijs locis hæc Miracula fiant, in alijs non fiant. Quemadmodum non omnes ſancti habent dona curationum, nec omnes habent diiudicationẽ ſpirituum, ita nec in omnibus memorijs Sanctorũ iſta (Miracula) fieri voluit ille, qui diuidit propria unicuique, prout vult.* Adijciamus & nos;

Epistoſa.
137.

ficuti

sicuti non omnes quondam aquæ vim habebant sanandi, nec quæuis ossa virtutem excitandi mortuos: Iordanis enim non cæteræ aquæ à lepra munda-
bant; sola Elisæi ossa vni vitam restituebant: eodem modo, non in quibusuis, sed certis templis, Miracula petuntur, & accipiuntur. Et ne vllus, hac in re, sit ambigendi locus: addit D. Augustinus; Africam quidem Sanctorum Martyrum plenam esse corporibus, in illa nihilominus admiranda & stupenda opera neutiquam fieri, quæ in Italia, præsertim Mediolani, apud Sanctorum memorias. Habet & Franconia, ne à patria abeamus, Cathedralem & Collegiatis Ecclesias, habet & alia templa, pleraque noua, & suppellectile Ecclesiastica conspicua: vix tamen in his auditur de vno Miraculo, de plurimis in Dettelbacensi. Negare autem velle, quæ vel SS. Patrum testimonijs dudum comprobata, aut in hominum sensibus gesta, aliud nihil est, quàm sponte oculos claudere, ne veritatis solem aspiciant; & impudentiam sectari Arrianorum, qui Miracula, quæ vniuersus populus, certis in templis & Basilicis Martyrum fieri cernebat, abiecto omni pudore humano, negare tamen audebant.

Abeamus ab impudentibus, & constituamus; Miracula nec passim, nec vbiuis locorum, sed nonnullis in Ecclesijs ac Basilicis fieri, quòd cæteris sanctiores sint, populosque accurrentes, ad pietatem accendant magis & preces, quibus exoratus DEVS per Diuos, mortuis vita, ægris sanitas, mœstis que & calamitosis solamen confertur. Templa per Fran-

coni-

Niceph.
lib. 15. ca-
pit. 25.

coniam antiquitus & recens excitata, singularum sunt ciuitatum, & pagorum. Marianum Sacellum omnium miserorum est perfugium. Vti in nobilioribus Nosocomijs apothecæ sunt, vnde medicamenta sumuntur ad curandos omnis generis morbos: sic Domicilium Dettelbacense myrothecium est spirituale, pro animi corporisque curandis & confortandis viribus. Hic omnino conferri videmus beneficia, quæ Leoni, mox Imperatori futuro, quondam pollicebatur DEI Mater; cum ipsum ad constituendum sibi templum cohortabatur hunc in modum: *Tu fac, vt adem mihi hic sacram construas, in qua identidem verfer, & suauiter deambulem: in qua etiam precantibus omnibus, locumq; hunc cum ardore & fide certa aduentibus, optata prestem omnia. Neque quicquam est prorsus, quod mihi aduersetur, & non continuo mea potestati cessurum sit, etiamsi demon sit, aut morbus, qui omnem superet medicina curam, aut aliud quicquam quod factura non sim, dummodo ritè pièque sit petitum.*

Erant quondam, in Franconia, templa Mariana non pauca, nec obscura seu ignobilia à Miraculis; Grimmenthal nempe, Höchberg, Luterbach, Kirchberg, Fundelberg, Quyberg, Dimbach, Hailbrun, Bircklingen, Ebern, & Hasfurt. Sed ab his omnibus, Miraculorum virtus & celebritas ferme omnis abiisse videtur; non tamen à Dettelbacensi, ad quod etiamnum, & perditis scelestique accedentes, singulari aliquo pietatis sensu commoueri videntur. Perierit vnum alterumue è superioribus;

næ vnius Dettelbacensis præfens celebritas & ma-
iestas, damnum, si quod acceptum sit, abundè
compensat. Accedit; quæ supersunt, constanter re-
tineri, nec minori studio à posteris coli, quàm à ma-
ioribus fuerint erecta. Haud aberrabit, qui affirma-
uerit; singularem Franconum pietatem, in con-
struendis, conseruandis, & exornandis templis, Ma-
rianis præsertim, restitutæ Religioni Catholicæ nu-
per in vniuersa VVirceburgensi Dioccesi, non exi-
guum attulisse momentum.

*Si Centurio Euangelicus (vt D. Ambrosius loqui-
tur) meretur gratiam, qui impietatis receptaculum præ-
stitit; quanto maiorem meretur gratiam qui religioni
domicilium preparauit? Et si ille cælesti misericordia
visitatur, qui construxit locum, vbi Christus semper ne-
gatur, quanto magis visitandus est, qui fabricari fecit
tabernaculum, vbi Christus quotidie prædicatur.*

*Serm. 89
de Dedic.
Basilicæ.*

Addamus & nos; vbi ipsius Parens, vt Virgo, vt
Mater, vt cœli Regina, totiusque orbis Domina
celebratur? Pergite animosè Francones; pergite
ciues mei, vti cœpistis, in aris & templis constru-
endis, & quodammodo cum Numine mutuis officijs
certate. Semper quidem DEVS vincet; nihilo-
minus & vestram consequemini victoriam, si
gratias agentes omnium bonorum aucto-
ri, fateamini ab ipso, diuinis be-
neficijs, vos superatos.



Vltima Miraculorum Ca- uillatio.

Rorro si tam eximia beneficia, in Domi-
lio Dettelbacensi, collata sunt, & Diuini
Numinis illic notata præsentia & fauor;
an non ista citius literis consignare oport-
tebat, & in vulgus spargere? Quid si callidè nunc
conficta? quid si dolus subesset, & merus populo
venderetur fumus? Quatuor illi viri, in Regum
libris, ob fœdam lepram ab hominum conuictu se-
iuncti, existimabant se grande scelus admissuros,
si vel diem vnum differrent Regi Israël populoque
faustum referre nuncium; hostium videlicet castra
deserta, omnesque Syrios diuinitus fugatos. Aut
sceleris ergò arguendi, quotquot celarunt DEI,
Diuæque Beneficia, quæ tandem lucem aspiciunt;
aut omnino ad fallendum erunt excogitata.

Nihil, nihil, quisquis es, per hanc tarditatem
& moram, quam allegas, Miraculorum veritati,
certitudini, & splendori detrahes. Credisne, or-
bem vniuersum conditum, & quidem ex nihilo,
Miraculum esse? tam sublime, tam excelsum est,
vt quam plurimi Philosophorum, ad eius non per-
uenerint notitiam: temerè statuentes; Mundum
aspectabilem extitisse ab omni æternitate: aut,
quod longè est ineptius, fortuita atomorum, seu

corpuf-

4. Regi
c. 7.

corpuseulorum minimorum cohaesione & coag-
mentatione factum.

Quid de nostro commemorabo Seruatore ?
quot ille Miracula in terris degens cum mortalibus
patrauit; quæ longo post tempore literis consigna-
ta sunt? Refert Irenæus; nobilem & victoriosum
post Christi in cœlum ascensum, quinque ac vigin-
ti; Nicephorus quindecim; alij pauciores, octo
nempe præcessisse annos, quàm D. Matthæus Euan-
gelium patrio sermone conscriberet, concordibus
Doctorum sententijs, primus inter Euangelistas
scriptor. Quid? à Christo quot facta Miracula, de qui-
bus nè apiculus quidem sacris in literis extat. Quot
mortuos, inquit D. Augustinus, visibiliter suscita-
uerit, quis nouit? non omnia quæ fecit, scripta
sunt. Ioannes hoc dixit: multa, inquit, fecit alia
Iesus, quæ si scripta essent, arbitror totum mundum
non posse libros capere. Quinimò, suo tempore
Miracula facta affirmat D. Augustinus; nec tamen
publicas in tabulas extemplò relata. In ipsa vrbe
Carthagine, plarimi, quæ ibidem fierent, Miracula
ignorabant. Innocentia, à genere & pietate inter
fœminas illic commendata, cancro in mamilla la-
borabat, morbo, concordi medicorum sententia, in-
curabili. Post preces ad DEVM fusas, remedium
ipsi per somnum salutare præscribitur, quod dum
adhibet, omnis cedit morbus. Abeunt dies, & for-
sitàn menses non pauci; nec familiares, quid fa-
ctum, intelligunt. Itaque Miracula, quæ nunc n-

lib. 3. c. 1.

lib. 2. hi.
stor. c. 45.
Theoph. in
prafatione
comm. in
Matth:
Euseb. in
Chronico.
Serm. 44.
de verbis
Domini
Ioann. 21.
cap.

lib. 22. de
ciuitate
Dei c. 8.

dem in lucem prodeunt, incognita fuerunt, & suppressa forsitan ab illis ipsis, quibus collata: Cùm enim cernerent, homines se esse plebeios ac vilis conditionis, prudenter iudicare poterant, dictis ipsorum fidem alios non faciliè adhibituos. Nos ea amplius non celemus; sed multorum testium auctoritate confirmata, proferamus, posterisque nostris transmittamus, ad tuam gloriam iam mortalem, DEI genitrix. Salue & faue Virgo & Mater DEI; verè Magna, verè Admiranda.

S. Ephraem in sermone de laudibus Deiparæ.

Tu peccatorum, & auxilio destitutorum unica aduocata es, atque adiutrix. Tu portus procellis aduersitatum diuexatorum tutissimus: tu mundi solatium. Tu orphanorum susceptio: tu captiuorum redemptio, atque liberatio: tu egrotantium exultatio, mæstorumq; consolatio, & omnium salus. Tu monachorum ac solitariorum stabilimentum, & spes secularium. Tu virginum gloria, corona, ac gaudium. Tu mundi letitia, ô Domina princeps, atque Regina præstantissima, & perquam benedicta, puella honoratissima, & dominarum Domina purissima atque castissima.



In Thomsonum Scotoglossum
& Lipsiomastigem.

His peto quem telis, lingua tenebrosus
amara est,
Quam stygius laniet, sed sine fine, lupus.
Huius ab impuro laceratur murmure VIRGO,
Quam super euexit cuncta creata DEVS?
Hic, quod Christiparæ duplicare volumine laudes
Conatur docta Lipsius arte, furit?
O Phlegethontæo caput execrabile vultu,
Cor, quod inexpleto gutture, vultur edat!
Vile supercilium, species mala, lumen inane,
Et ferrugineus, qui sedet ore, color!
Si tacuisset, erat lingua meliore tacendus:
Discat amara pati doctus amara loqui.
Et quia taxatur cum Matre clientulus insons,
Hic scripto, gestis rebus at illa grauis;
Cum nequeant violenta diu durare, faceffat
Parcere qui Superis noluit, orbe liber.




Appro-


A P P R O B A T I O F A -
C V L T A T I S T H E O L O G I C A E .




Miranda beneficia D. Virgi-
nis Dettelbacensis, à R^{mo}.
Augustopolitano Anti-
stite, & R^{mi} & Ill^{mi} Episcopi &
Principis V Virceburgensis Suf-
fraganeo, Domino Eucharico
Sangio, SS. Theol. Doctore scri-
pta, plures Doctores recensue-
runt: quibus omnia ex fide rela-
ta esse visa sunt. Opus certè eru-
ditum & pium, vt vnum ex be-
nificijs meritò debeat censerī.
Subscripsi IV. Cal. Octobr. An-
ni M. DC. VII.

*Ioannes Brenneysen, è Societate I E S V, SS. Theol.
Doct̃or, & Facultatis Theologicae pro
tempore Decanus.*







B. V.
Dettel
barben.
Killa
ni esta

N. III

Th
4875